Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Barthold Krakewitz von

Commentarius In Prophetam Jonam : Textus Perspicuam Paraphrasin, & Locorum Rotundam declarationem in Thesi & Antithesi exhibens

[Lubecae]: Hamburgi: Lübeck: Jauch: Carsten, 1610

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767035798/phys_0001
DFG

Präf. – 397 pag. Ind

49. a. 11

2897

F. d – 3109.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767035798/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767035798/phys_0003
DFG

COMMENTARIVS IN PROPHETAM IONAM,

TEXTVS PERSPICVAM PARAPHRASIN, & LOCORUM ROTUNDAM declarationem in Thesi & Antithesi exhibens, adornatus

à

Bartholdo Krakevitz

SS. Theologiæ Doctore, & in Academia Gryphisvvaldensi Professore ordinario.

Adjectus est in fine Index rerum & authorum satis copiosus.

Rom. 12. vers. 6.

ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα, εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.

HAMBURGI,

Typis Henrici Carstens, Impensis Samuelis Jauchii.

ANNO CIↃ. IↃ. X.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0005

DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0006
DFG

MAGNIFICO, STRENUO & nobilissimo viro,

IOHANNI HENRICO FLEMINGIO, CAPITULI CAMMINENSIS DECANO SPECTATISSIMO, hæreditario in Martentin & Böke, Domino, amico & fautori suo suspiciendo S.

PRæclarè ab Hieronymo dictum est, *Magnifice & Nobilissime vir*, fautor & amice suspiciende, *sacram scripturam non in legendo, sed intelligendo consistere*, quâ sententiâ nõ quid & quantum quoad verba aut syllabas in scripturis quis legat, sed quàm rectè lecta intelligat, & sensum Spiritus sancti in scripturis loquentis assequatur, ante omnia attendendum esse, perspicuè subinnuit. De genuino verò sacræ Scripturæ sensu adeò olim quæsita sunt multa, & hodiè etiamnum quæruntur, ut illa recitare sine insigni labore quilibet possit, dijudicare non item. Pontificii, ut idoli sui

Tom. 2. in dialogo adversus Lucifer. nos.

Romani decretis atq; anathematiſmis, verbo Dei è diametro nonnunq̃ contrariis, eò majorem authoritatem, concilient & Scripturarũ judicio ſeſe & causã ſuam eò faciliùs ſubtrahant, ſcripturas comminiſcuntur adeò eſſe perplexas, obſcuras, & variorum ſenſuum capaces, ut ſine periculo Laici ad ejus lectionem admitti, aut de ſcripturarum locis, eq; ijſdem deſumtis fidei articulis judicare prorſus non poſſint. Atque hinc naſcuntur inſignia illa emblemata & floſculi planè diabolici, quibus verbum Dei *fabulis Æſopi*, *Protagoræ principiis*, *Sibyllæ foliis*, *cereo naſo*, æquiparant, illudq̃, omni pietate & reverentiâ erga ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum authorem ſepoſitâ, infinitis ferè convitiorum plauſtris onerant. Hæc & alia quæ illi Dei verbo affricare non verentur, ſcommata, uti *Spiritui ſancto* fulmine gehennali vindicanda relinquimus, ità quid demùm de genuina verbi divini interpretatione ſit ſentiendum, & unde ea deſumenda, altiùs aliquantò præſenti occaſione indagare operæ fortaſſis ſue-

Vide Hoſium in lib. de expreſſo verbo Dei. Petrum à Soto in Scholiis de Euchariſtia Papiſt. Vvormat. Anno 57. Coſterum in Enchirid. &c.

fuerit precium. Istud verò ut compèdiosius expediatur, ante omnia, quæ circa sensum scripturæ investigandũ in quæstionem potissimum veniant, probè inquirendum putamus, siquidem hoc labore exantlato, veritati facem quandam lucidissimam accensam esse, res ipsa loquetur.

Scripturæ itaque sensum dicentes esse planum atq; perspicuum, non herclè hoc volumus, quod omnes ejus partes, omniaque membra ità sint clara, eorundemq; sensus cuilibet, obiter tantùm & quasi per transennam scripta biblica aspicienti, obvius, ut vel ignorantiæ nihil lector alicubi fateri debeat, vel difficultatis etiam nihil Scripturæ Lectori insinuent. Hoc ipsum tantũ abest ut statuamus, ut etiam visionum Apocalypticarum ἐξηγήσεις, structuræ, posterioribus *Prophetæ Ezechielis* capitibus descriptæ, enodationem, aliorumq; quorundam locorum sensum perquàm difficilem & nodosum esse haud inviti concedamus.

Quinimmò ea est & tàm horrenda

naturæ nostræ post lapsum primorum parentum corruptio, ut *animalis homo, quæ Spiritus Dei sunt*, è viribus nondum illuminatæ naturæ, ne quidem perspiciat, sed & *pro deridiculo & meris nugis*, Apostolo 1. Cor. 2. v. 14. attestante, habeat.

Adde quod illud quoque scripturis, quantumvis maximè claris atq; perspicuis, legentium vitio accidit, ut haud raro depraventur, & à vanis interpretibus contortus eis atque difficilis sensus affricetur; quod perpendens *D. Petrus*, ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι si quæ in *Epistolis Paulinis* occurrunt δυσνόητα, ut & τὰς λοιπὰς γραφὰς (quæ sel. apertæ satis sunt) στρεβλοῦν solere conqueritur. 2. Pet. 3. v. 16.

Deniq; illud etiam bonâ omnium gratiâ largimur, singulare Spiritus sancti donum esse, Scripturas, difficiles cumprimis, rectè dextrè & feliciter interpretari, eq; eorundem contextu & fontibus fundamenta articulorum fidei eruere; quam nostram assertionem *Apostolus* Roman. 12. versicul. 6. 1. Corinth. 12. versic. 10. & 11. &c. manifestè comprobat.

Hoc

Hoc verò est, quod, ubi de σαφηνείᾳ oraculorũ sacrorum cum Papicolis concertamus, tanquàm verum & indubitatum axioma mordicùs defendimus: *scripta videlicet biblica divinitùs inspiratæ in ijs, quæ æternam nostram salutem cõcernunt, ejus esse evidentiæ, perspicuitatis, claritatis, ut ipsa per se & ex se quoad fundamentum salutis ab ijs, qui per Spiritum sanctum regenerati sunt, intelligi possint, sicque optimi & summè infallibiles sensus sui sint maneantq; interpretes.* Hanc thesin pluribus sanè, & quæ portis infernalibus immobilia sunt, fundamentis, fulcire possemus; at quia non fari, sed præfari, non disputare, sed disputata jam à multis attingere, nostri tantùm hoc in loco instituti esse recordamur, ideoq; antithesin Pontificiam introspicere, deq; ea ἐπίκρισιν nostram, quanquàm pauciſſimis, subsequentibus referre annitemur.

Si itaque quid hac de re *Esawitæ* moderni, locustæ istæ infernales, sentiant, scisciteris, primò hoc nomine insigne à nobis divortium istos fecisse reperies,

quod uni eidemq; scripturæ textui, non unum, sed varios affingunt sensus, quorum alius sit *literalis*, alius *anagogicus*, alius *tropologicus*, alius *allegoricus*; quos diversos inque uno & eodem loco concurrentes sensus his quanquam admodum duris versibus exprimunt:

Litera gesta docet quid credas, Allegoria
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Cæterum vix est inter eos, sanæ mentis qui sunt, qui ubivis, & in quovis scripturæ loco varium istũ intellectum locum habere posse sibi persuaderi patiatur, siquidem in tot sensus dicta biblica ubi distraxeris, non tantùm scopum & intentionem *Spiritus sancti* ubivis ferè, *Origenico* more, interverti, sed & verba *Spiritus sancti*, simplicia alioquin & plana, in meras ænigmata, metamorphosi bonis mentibus intolerabili, transformari apparebit.

Unico itaque literali nimirùm & historico, sensu (quem vel inviti tandem *ad probandum validißimum esse*, *Jesuvitæ* negare non possunt, *Bellarmin. lib 3. de verbo Dei, cap. 3.*) scripturæ relicto,

licto, unde porrò is desumendus sit, undeq; verus sit & intentioni Spiritus sancti conveniens, nec ne, constare possit, si quæras, eam rursus habebis responsionem, per quam nulla de certo & infallibili biblicorum scriptorum intellectu veritas aut certitudo relinquetur.

Scripturas, ut in quibus Spiritus sanctus loquitur, diximus summum & absolutum, planeque infallibile sui intellectus judicium ex sese proferre; contrà illi, *quæ sit vera scriptura, & quis ejus* VERUS SENSUS NON NISI *ex testimonio Ecclesiæ sciri posse contendunt.* *Bellarm.* lib. 4. de not. Eccl. cap. 2. *Quinimmò*, inquit alibi idem: *Scriptura varios recipit sensus, nec potest dicere, quis sit suus sensus, Scriptura seipsam interpretari nequit*, lib. 3. de verbo Dei, cap. 9. §. 1. Rursus idem: *Hic in genere dicimus, judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Cõcilio*, &c. lib. 3. de verbo Dei, cap. 3. §. 13. *Bredembachius* quidam, ne quid, quod ad Scripturæ contemptum, Ecclesiæ verò Romanæ ty-

rannydem stabiliendam facere possit, faciat reliqui, *Scriptura*, inquit, *non est judex Ecclesiæ, sed Ecclesia & judex est & interpres Scripturæ.* (*in lib. de cõponend. diſſidijs, fol. 45.*) Alia ejusdem farinæ apud alios passim reperies.

Duo hîc ut notentur opus erit. Primò, non de limitato, sed summo in interpretandis Scripturarum locis judicio à nobis hîc agi, quod nulli, nulli Ecclesiæ, sed soli *Spiritui sancto* in Scripturis & per Scripturas loquenti, seque ipsum explicanti tantùm competere, iterùm atq; iterùm asserimus. Secundò Ecclesiæ voce vera & ad verbum Dei alligata societas *Esawitis* nequaquam venit, ejus namq; officij esse, ut ministerio suo Scripturarum enodationi deserviat, liquidò fatemur: sed Ecclesia hujusmodi eis hic cœtus est, qui Pontifici Romano unicè adhæret, & ad illius, etiam præter & contra Scripturas loquentis, placitum, vivendi credendique normam unicè componit. Quinimmò, quicquid etiam de Ecclesia isti speciosè proferunt, cujus sit Scripturas infallibiliter interpretari,

cò

eò tamen res tandem redit, ut penes *Papam Romanum* summa absolutaq; Scripturas interpretandi potestas relinquatur, quippé *qui*, ut *Melchior Canus* habet, *quoties de fide pronunciat, errare nequit*, sicque ἀνυπεύθυνος ex istorum adulatorum sententia reputandus est (lib. 3. *Loc. Theolog.* capit. 7.) Hic nimirùm iste est Scripturarum summus interpres; ex hujus, quod in pectore gerit, scrinio indubius verbi divini sensus eliciendus est; scilicet!

Ut verò de isthoc admodum suspecto Homilitâ & summo Scripturarum (si Diis placet) in his terris interprete quid sentiendum sit, constare possit, sequentia, *Papæ* odio, *Christi* verò & *Spiritus sancti* amore prolata, probè expendenda erunt.

Initiò: Ejus est in interpretatione Scripturarum summum & infallibile judicium, qui earum author est. Atqui is est *Spiritus sanctus*, & is quidem in Scripturis loquens, non autem *Papa Romanus*. Ergo.

Deindè

2. Deinde: Qui ab omni errore immunis est, infallibiliter Scripturas interpretari potest. Atqui *Pontifex* non est hujusmodi. Ergo. Minorem tamdiu in dubium vocare nemini licebit, quamdiu *Antichristum Romanum* humanam conditionem penitùs non sepositisse, sieque, juxta *Psaltis regii* testimonium inter *mendaces* numerandum esse, constiterit. Psal. 116.

3. Prætereà: Si Scriptura non est *privatæ resolutionis*, uti quidem *Petrus*, 2. Pet. 1. vers. 20. expressè loquitur, priùs de infallibili apud *Pontificem Romanum* residente scripturarum interpretatione constare nemini poterit, quàm suam interpretationem publicam & *Spiritus sancti* calculo comprobatam esse, Scripturarum ipsarum testimonio probaverit. Atqui hoc ad Kalendas, ut loquimur, faciet Græcas. Ergò, &c.

4. Porrò quàm elegans (scilicet?) ἐρμηνευτὴς is, quem toties nominavimus, sit *Pontifex*, ex vetustioribus ejusdem canonibus non sine admiratione & indignatione perspicere licet. An non n. Syri-

Syricius Pontifex dictum istud *Apostoli* (*Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*) scitè ad conjugalem statum, à Deo ipso introductum & multis modis cohonestatum, applicuit? Annon *Anacletus* ex dictis istis (*Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam*, Item: *Deus stetit in Synagoga Deorum, &c.*) Cleri omnimodam à foro magistratus secularis exemptionem, eleganter elicuit? Deniq; an non dictum istud *Salvatoris* (*Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*, &c. Matth. 16.) artificio hujus interpretis pro *Pontificum Romanorum* omnimodâ & nullatenus limitatâ potestate asserendâ toties cothurni formam assumere coactum est, ut omnium Paparum & Papolatrarum pedibus, humeris, brachiis, manibus & digitis sensu Romano aptari nunc possit? Næ, si quis in scripturis interpretandis felix est, hoc monstrum Romanum est!

Deniq; cum *in malevolam animam*, ut *liber Sapientiæ*, cap. 1. vers. 4. habet, *Sapientia non introëat, nec habitet in corpore peccatis subdito*, certè vel inde etjam, 5.

jam, ut de munere isto ἑρμηνευτικῷ Romanorum Præsulum minùs honestè sentiamus, ansam quodammodò desumimus. Istorum enim vitam, mores, acta atq; exitum si cõsideraverimꝰ, tantis sceleribus septicolles istas bestias sese nonnunquam polluisse deprehendemꝰ, ut corpus atrocissimis peccatis subditum, & ψυχὴ κακότεχνος pejus fuisse indubiè concludere possimus. Aliqui enim eorum fuerunt *Dæmoniaci*, *magi & incantatores*, ut *Alexander 6. Paulus 3. Sylvester 2. Benedictus 9. Iohannes 13.* &c. Alii *extremè ambitiosi*, ut *Iohannes 22. & 24. Bonifacius 3. Martinus 5. Hadrianus 4. Alexander 3.* Alii *omninò ἄθεοι*, ut *Alexander 6. Sylvester 2. Paulus 3. Gregorius Septimus Necromanticus.* Alii *adulteri*, ut *Sergius 3. Iohannes 2. Iohannes 12. & 13. Alexander 6.* Alii *Sodomitæ*, ut *Iulius 2. & 3. Leo 10. Sixtus 4.* Alii aliis, dictu & auditu horrendis facinoribus clari; de quibus plura apud *Platinam*, *Aventinum*, *Petrum de vineis*, *Nigrinum*, & alios probatos historicos reperies; Nam

Quis

Quis tales omnes culices, muscas, scarabeos
Crabrones, fucos, vespas, bruchos & Asilos,
Aut velit, aut possit memori numerare libello.

Ex his, quanquàm numero pauciori-
bus, argumentis, quanti *Pontificis Roma-*
ni, quam sibi in interpretandis Scriptu-
ris sumit, authoritas facienda sit, collige-
re in promptu est, quam, uti evanidam
& nullam esse scimus, ità *Spiritum san-*
ctum in Scripturis clarè loquentem &
mentis ac sensus sui optimum, summum, planeq; infallibilem interpretem liquidò agnoscimus, & deinceps quoq; p eiusdem Spiritꝰ gratiam agnituri sumus.

De subordinatis seu ministerialibꝰ verbi Dei interpretibꝰ, quales sunt ordinariè Ecclesiæ scholarumq; Doctores legitimè constituti, deque mediis, quorum beneficio hi *Spiritus sancti* mentem & linguam assequuntur, addi hîc non incommodè quædam possent, nisi id in præsentia tantùm propositum fuisset ostendere, quàm ineptum, impium, & nihili oraculorum sacrorum interpretem Romani Adulatores, Ecclesiæ Christi obtrudere satagant. Nunc

Nunc ad te *Magnifice & Nobiliſſime Vir*, amice & fautor eximie, rationem hujus meæ ἐπιγραφῆς redditurus, me converto.

Et initiò quidem non deprædicabo hoc loco multis eximiam tuam de rebus Theologicis noticiam, quam in familiaribus hinc inde habitis colloquiis mihi aliisque bonis ſufficienter comprobaſti, non exaggerabo iſtam tui in veram religionem ſingularem animi propenſionem, inque deteſtanda ἐπιροδοξίᾳ (Sacramentiperdarum cumprimis) zelum, eumque καθ' ἐπίγνωσιν eximium; quæ omnia alioquin talia ſunt, ut quantò in hominibus tui & mei (quoad nativitatem) ordinis ſunt rariora, eò majorem commendationem, & applauſum, jure ſuo mereantur.

Illud verò præcipuè, ut hanc ad te προσφώνησιν inſtituerem, me impulit, quod de me & meis (quæ ſcio quàm ſint exigua) ſtudiis non tantùm honeſtè te ſenſiſſe & locutum eſſe, multis argumentis compertum habui, verùm etiam totum ordinem Academicum, qui *Gryphis-*

phisvvaldiæ est, tibi charum fuisse, & etiamnum magni à te fieri indicio minimè aspernando cognovi. Nondum enim apud me obliterata est liberalis illa, in præsentia præstantissimorum virorum Universitati nostræ facta promissio, quâ te è primis primi anni reditibus ejus, quod nunc in *Capitulo Camminensi* sustines, officii eximium munus eidem exhibiturum sanctè recepisti, cujus promissi te tantum abest immemorem futurum sperem, ut jam tum de excellenti ista, quæ tibi contigit, conditione, deq; amplissimis reditibus, quorum ex promissione tua pars aliqua primo anno nostra est, meo & Collegarum nomine tibi gratuler, & vitæ perennitatem omniaque fausta ac felicia devotissimè comprecer.

Suscipe interea Chartaceum hoc munus, qualemcunque scilicet Prophetæ Jonæ enarrationem, indeque te bonorum apud nos animis nondumomnino excidisse, sed tuam illam in dicendo & agendo παῤῥησίαν mihi aliisque bonis adhuc probari, certò collige.

Dominus Jesus tibi, cruce domesticâ presso, gratia & solamine *Spiritus sui* adsit, ut omnia fortiter perferas, & militiam bonam milites, sicque immarcessibili illâ, omnibus Christi fidelibus promissâ coronâ, in reditu judicis vivorum & mortuorum unà cum tuis, & omnibus, qui *Christi* nomen invocant, potiaris. His vale, & me tui amantem redama. Gryphisvvaldiæ, 20. Augusti. Anno 1610.

M. T.

Addictissimus

BARTHOLDUS KRAKEVIZ. D.

Ad

D. BARTHOLDVM KRAKEVITZIUM, QVEM Propheta Jonas ob eruditissimam explicationem meritò collaudat.

HActenus excussit facili conamine JOnam
Tua labor solertia,
BARTHOLDE Doctor inclute.
Non opus hoc lateat privatâ sede relictum,
Sed me, sed omnes qui tuis
Musis favemus, instruat.
Utile propositum est votis servire bonorum;
Et ampla dona, queis vales,
Velis lubens diffundere.
Non decet ut lumen domui quod serviat omni,
Extermines ad angulum,
Scamnum vel hoc custodiat.
En JONAM piscis triduanus carcer habebat,
Exemtus inde sed tamen
Sub lucis auras prodiit.
Hoc imitare DEI factum Dux enthee lucem
JONAE tuo nec invide,
Qui serviet quamplurimis.

JOHANNES GVNDERMANNVS
Hilperhusanus, Francus, Pastor
aulicus Ludvvigburgæus.

PRÆLECTIONES IN JONAM.

CUm non parum lucis emendationi Scriptorum Biblicorum adferat circumstantiarum (temporis videlicet, loci, authorum) circa eadem diligens observatio; ideoq; nos quoq;, quibus JONÆ prophetiam deinceps enarrare animus est, easdem insalutatas præterire minimè oportebit: ac proinde primò quidem de Prophetiæ huius Authore; deinde verò
1. 2. ejusdem authoritate; & tandem de
3. argumento seu materia, quam continet, τῶν προλεγομένων loco pauncula præmittemus.

DE

DE PROPHETIÆ AVTHORE.

QVod de Prophetia in universum Apostolus Petrus annotat. 2. Pet. 1. eam non θελήματι ἀνθρώπου; sed Spiritu sancto inspirante allatam esse, hocipsum cumprimis ad eam quoq; quam præ manibus habemus, Prophetiam accommodari posse, primus ejusdem versiculus manifestè comprobat, quo Verbum Jehovæ ad Jonam filium Amathai missum esse asseritur. Unde non unum tantùm Scripti hujus Authorem, sed duos, & longissimo intervallo dissidentes, constituendos esse, clarissimè elucescit.

Duplex Author Prophetiarum.

Primum quidem quod attinet, eumquè principalem, est is Spiritus sanctus, Spiritus Jehovæ, 2. Sam. 23. qui loquitur per linguam Prophetarum; quorum etjam lingua exinde Stylus promptè scribentis à Davide, Psal. 45. nuncupatur; atq; hinc Jonæ etiam Prophetia verbum Jehovæ jure optimo inscribitur.

Ionas quis fuerit ex sententia Iudæorum.

Secundarius seu ministerialis Prophetiæ præsentis author est Jonas *filius* Amathai, *qui quisnam fuerit, non una omnium est sententia.*

Vide Sixtum Senensem, lib. 1. bibl. fol. 15.

Iudæi, *qui consueto more quocunque saltem possunt prætextu, à literali Scripturæ sensu recedunt, eum filium fuisse existimant* Viduæ Sareptanæ, *quem Elias Propheta mortuum vitæ restituit, uti videre est apud* Georgium Cedrenum, Hieronymum, *& alios.* Cedrenì verba sunt hæc: ἠλίας τὸν υἱὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, ὃν φασί τινες εἶναι Ιωνᾶν προφήτην. *In annalibus fol. 82. Hoc suum effatum hinc astruunt, quod nimirum* Jonas *dicatur filius* Amathai, *hoc est, veritatis,* [Emeth enim idem est quod veritas] *hocq; concordet cum verbis* Sareptanæ *istius, quibus* Eliam *resuscitato filio excipiebat, dicens:* Iam experior virum Dei te esse, & verbum Iehovæ in ore tuo verum, *1. Regum 17.*

Iudæorum opinio refellitur certis fundamentis.

Cæterum potior nobis est Scripturæ loquela, quàm gentis Judaicæ corruptela, quæ tribus fundamentis validissimè prosterni-

sternitur; quorum primum hoc est, quod 1.
Ionæ pater Amathai expressè nominatur nomine proprio, & ex verbis Sidoniæ seu Sareptanæ Viduæ, illarumq; occasione haudquaquam derivato. 2. refellit etiam Judæorum delirium Ionæ, & pueri illius Sareptani conditio quoad religionem diversa; siquidem hic gentilis & extra Ecclesiam Iudaicam, ille contra in Ecclesia natus erat, sicuti ipse fatetur, inquiens: Hebræum se esse, & Deum cœli ac terræ revereri, cap. 1. vers. 9. 3. Quominus hic Ionas Sareptanus dici possit, etiam patriæ obstat diversitas. Sarepta enim in Sidoniorum regione sita erat, unde & Σάρεπτων τῆς Σιδῶνος, Luc. 4. Christus eam nominat: at verò Propheta noster ex Geth Opheris oriundus est, ut ex 2. Reg. cap. 14. vers. 25. videre licet; qui vicus in terra Zabulon situs fuit, Geth Opheris dictus, ad differentiam aliarum Geth, quæ juxta Etropolin & Diospolin hodie quoque, ut author est Hieronymus monstrantur. Luc. 4. Hieronymus in locis Ebraïs.

Ionas quando vixerit.

Vixit circa annum mundi ter millesimum centesimum, decimum nonum, temporibus Ieroboami *secundi, Regis* Israëlis, *filii* Ioas, *regnum Judæ tunc administrante* Amasia, *annis circiter ante natum* CHRISTVM *octingentis quadraginta tribus.*

Ionæ Coëtanei.

Συγχρόνους *habuit* Oseam, Amos & Esaiam, *Prophetas præstantissimos. Est & hic Jonas inter omnes Prophetas, qui scripti aliquid post se reliquerunt, antiquissimus, mortuus, ut aliqui tradunt, in terra* Saar, *ibidemq; sepultus in specu Ceneæi judicis.*

Sixtus Senensis lib. 1 Bibliothecæ.

Quod autem Propheta hic inter postremos numerandus non sit, vel inde apparet, quia multoties illius ministerio Deus *usus est. Præterquam enim quod* Ninivitis *ad annunciationem iræ Dei & extremæ perditionis, nisi pœnitentiam agerent, mittitur; in medio populi Dei eundem quoq; vaticinatum esse ex 2. Regum cap. 14. apparet, ubi victoriam & successus fortunatos* Ieroboami *Regis Israë-*

Israëlitarum, jam ante per Prophetam Jonam, *qui è* Gath Opheris *oriundus erat, prædictos esse dicitur.*

DE SCRIPTI HVIUS PROPHETICI autoritate.

EX *dictis, quanti Scriptum hoc Propheticum faciendum sit, quodammodo perspicitur. Cum enim sit* VERBUM DOMINI, *& à* SPIRITU SANCTO *profectum, seu* θεόπνευστον, *maximam ejus in Ecclesia authoritatem esse, nemo pius negaverit. Quis enim divinius* DEO *loquetur? aut cujus vox dignior, majorisve authoritatis, quàm quæ Dei est, censeri poterit? Num enim Deus,*

Jonæ Prophetia est canonica, quia à Spiritu sancto prolata.

inquit Lactantius (de vero cultu, libr. 6. cap. 21.) & mentis & vocis, & linguæ artifex, disertè loqui non potest? Immò verò summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Proinde hoc Scriptum inter indubitatò Canonicos veteris Testamenti Libros à Judæis (antiquioris illius Ecclesiæ bibliothecariis, quibus secundum APOSTOLUM PAULUM credita erant τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, Rom. 3.) jure optimo relatum fuit; quam etiam ejus θεοπνευστίαν & autoritatem illud magis magisquè evincit atque corroborat, quod in Novo Testamento

mento ab ipso SALVATORE, JONÆ historia in medium adducitur: siquidem Judæis, signum à Messia, quo de veritate ejus certiores redderentur, exposcentibus, se aliud, quàm quòd jam antè à Jona præfiguratum erat, allaturum, manifestè Matth. 12. vers. 40. negat.

Doctrinæ Prophetiâ Jonæ descriptæ, summa est Majestas.

Adipsum doctrinæ genus præsenti Prophetico opere contentum, si respiciamus, næ illudita est divinum, tamq; variis utilitatibus refertum, ut quàm verissimè de hac Scripturæ divinitùs patefactæ particula dici possit, eam ὠφέλιμον εἶναι πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ 2. Timoth. 3. vers. 16. quas utilitates & quæ officia in omni Scripturâ divini-

divinitùs inspiratâ vel maximè Apostolus Paulus requirit.

PROPHETIÆ SVMMA SEU ΠΕΡΙΚΟΠΗ.

IONAS missus à DOMINO ad prædicandum in NINIVE METROPOLI ASSYRIÆ conscensâ in IOPPE navi, fugit à facie Domini in mare, propter quod ortâ tempestate, dormiens in navi à nauclero excitatur, jactisq; sortibus sons ac tempestatis causa deprehensus, suoptè consilio projicitur in mare, cessatq; tempestas: Ipse autem à ceto absorptus, fuit in ventre ejus tribus diebus

bus & tribus noctibus, ac inibi orat Dominum; exauditur; tertia die vivus evomitur in terram, rursumq; jussus à Domino, pergit in NINIVEN, prædicat, urbem post quadraginta dies subvertendam, cui credentes Ninivitæ, conversi ad Deum strictè jejunant, in sacco & cinere pœnitentiam agunt, unde misertus Deus parcit civitati, Jonas verò egressus civitate, videns verbum suum adversus NINIVEN non impleri, ne falsa prædicasse videretur, contristatur, orat mori. At Dominus per hederam subitò productam & arefactam injustam ejus indignationem redarguit, seq; NI-

NIVE

PRÆLECTIONES

NIVE, in qua plures quàm centum viginti mille innocentes reperiantur, meritò parcere ostendit.



ARGV-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0034
DFG

ARGVMENTVM ET PARTES CAPItis Primi.

PRimùm hoc Caput tria potiſſimùm membra continet, ordine enucleanda. Primum eſt JONÆ VOCATIO & miſsio ad Ninivitas, qua jubetur adverſus malitiam dictæ civitatis inclamare & prædicare. Secundum fugam ejuſdem in mare, fortunamq; mirabilem, & quodammodo triſtem exhibet, dùm nimirum JONÆ culpâ primò tempeſtas exoritur, omnibus,

1.

2.

bus, navi detentis, mortem adeoq; extremum exitium propemodum afferens; deinde verò sorte jactâ JONAS in mare summo cum
3. vitæ discrimine ejicitur. Tertium JONÆ miraculosam conservationem in ventre piscis describit.



PARS PRIMA.

PARAPHRASIS TEXTUS.

SIcuti apud Ieremiam vehementer conqueritur Dominus *sibi displicere operas Prophetarum*, qui non missi currunt Ier. 23. v. 21. *ità econtrà legitimè missorum laborem* in Domino inanem minimè futurum Paulus *testatur*, 1. Cor. 15. vers. 58. *Meminisse hujus sententiæ Prophetæ noster cumprimis debuit, ideoq; non propriâ aut privatâ præsumptione Prophetæ partes in sese recepit, siquidem* verbum Iehovæ ad Ionam filium Amathai factum fuisse legitur. V. 1.

Varijs autem modis divinam Majest. Patribus olim locutam fuisse vel apparuisse, in Epistola ad Ebræos cap. 1. traditur. Septem præcipuos ex historijs colligimus. Varij revelationum divinarum modi.

1. σόμα κατὰ σόμα ἐν εἴδει Num. 12. versic. 8. Gen. 2. v. 16. &c. cap. 3. v. 10. & seq. Syr. 17. v. 11. II. δι ἀγγέλων, Gal. 3. v. 19. Act. 7. v. 53. Hebr. 2. v. 2. Gen. 19. & 22. Exod. 19. vers. 16. Dan. 8. vers. 17. cap. 9. vers. 22. Luc. 1. & 2. & 2. v. 20.

III. διὰ ὀπτασίων Luc. 1. v. 22. 2. Cor. 12. v. 1. Gen. 28. v. 32. Josuæ 5. v. 14. IV. κατ' ὄναρ, Matth. 1. v. 20. cap. 2. vers. 12. 13. Gen. 37. v. 5. cap. 41. Dan. 2. v. 1. V. διὰ προφητῶν καὶ ἀποστόλων, Oseæ 12. v. 10. Matth. 23. 2. Cor. 3. VI. ἐν υἱῷ Hebr. 1. Joh. 1. Galath. 4. 1. Tim. 3. Annumeretur sex modis præcedentibus ille ἐκ τῶν ποιημάτων Rom. 1. vers. 19. Sap. 13. De quibus plura Procopius in Esaiam: Augustinus tractatu 35. in Iohann. Lombard. lib. 1. distinct. 3. Nunc temporis Christo exhibito, per quem Deus nobis ἐπ' ἐσχάτων locutus est, novas revelationes extrà & præter scripturas divinitùs traditas non expectemus.

Quo revelationis modo verbum Domini Prophetæ obtigerit, non constat.

Quis verò prædictorùm modorum à DEO in missione Jonæ observatus fuerit, Propheta non commemorat; aliquem ex prænumeratis fuisse, verisimile est: qualis verò is sit, quià citra fidei jacturam à nobis ignorari potest, scrupulosiùs non scisciteмur.

Nomen Prophetæ etjam in primo hoc versu observandum est, quod ipsi historiæ pulcherrimè concordat. Dicitur n. Ionas à Ianah

Ianah, *quod columbam* Hebr. *significat*. *Sicuti itaq; columbæ sunt imbelles, timidæ, & vel nutu facillimè fugari possunt, ità* Ionas *quoq; suam meticulositatem in decursu historiæ sufficienter prodit.* Ionas idem quod columba.

Versu secundo habetur instructio legationis Jonæ, cum dicit Dominus: Surge & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea, quià ascendit malitia ejus coràm me. *Monstrat autem hæc instructio primò locum, in quo prædicare debebat Propheta: videlicet, non in castello aut pago quodam obscuriori: sed in civitate longè maxima & famosissima,* Ninive, *quæ totius* Assyriæ metropolis *erat, & in qua Imperatores primæ monarchiæ sedem suam regiam aliquandiu fixerant. Describitur autem civitas hæc, quòd fuerit πόλις μεγάλη, civitas magna, id quod inde etjam clariùs eluceſcit, quandò aliàs capit. 3. versic. 3. dicitur civitas magna itinere trium dierum. Ædificata est ea ab* Assure, *uti videre est Genes. 10. vers. 11. qui à* Iustino *& alijs* Ninus *nominatur: is quantas res gesserit, quomodoque Babylonem con-* Vers. 2. Ninive metropolis Assyriæ & sedes Imperatoria. Ninive à quo condita.

derit, & cum Zoroastre Bactrianorum *Rege prælio concertaverit, videre itidem est apud interpolatorem historiæ* Trogi Pompeji, Iustinum, *lib. 1. Histor.*

Secundò, quidnam in Ninive *Prophetæ faciendum adscribitur. Non illi committuntur sceptra politica, neque prælliorum periculosa concertatio, ut scilicet*

Vers. 2. *per vim & armata manu verbum Dei propaget; sed* prædica, *inquit Deus,* κήρυξον *reddiderunt septuaginta, qui propiùs hac in parte ad fontem accedunt, quàm Latinus interpres, cum idem sit, ac si dicat;* elevata voce seu caducëatoris & præconis instar clama. *Hebræus habet* vkera *& clama, à radice* Kara, *quod significat addito speciali & expresso nomine clamavit, estq; eadem locutio ac si dicat; & clama expresè & articulatè super hoc vel illo.*

Vers. 2. *Tertiò additur causa missionis impulsiva, quæ est hominum in* Ninive *habitantium malitia;* quià *inquit*, ascendit malitia ejus coram me. *Septuaginta;* κραυγὴ τῆς κακίας, *vociferatio seu clamor malitiæ; quæ locutio scripturæ in gravi-*

bus

bus & magnis peccatis, si publica sint & manifestæ luci exposita, maximè familiaris est. Sic *Gen. 4. v. 10.* vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, *Item & Gen. 18.* Clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est.

LOCI DOCTRINÆ.

I. Docemur ad legitimam & frugiferam prædicationem requiri etiam instimul justam & legitimam vocationem, quæ non sit extorta precio aut precibus, sed quæ Deum *authorem habeat, qualem hanc* Ionæ *fuisse, illud apertè comprobat, quod non tantùm verbum* Domini *eidem communicatum, verùm etiam ei injunctum legimus:* Surge, abi in Niniven, & prædica. *Hujusmodi legitima vocatio ad ministerium, multiplicibus de causis summè est necessaria, quarum sequentes hæ ferè sunt præcipuæ. Prima est* Mandatum Domini, jubentis, ut nemo sibi sumat honorem, nisi idem sit vocatus à Deo, quemadmodum & Aaron, *Heb. 5. & nota est gravissima querela, qua a-*

Causæ cur ministris Ecclesiæ legitima vocatione opus sit. I.

pud Ieremiam Prophetam Dominus in recensione reliquarum iniquitatum, penes sacerdotes deprehensarum, vtitur; quod nimirùm cucurrerint, Deo eos non mittente, Ier. 23. quæ Prophetæ verba tanti quidem facit Apostolus, vt in aurea illa mediorum salutis nostræ catena, prædicationem ad fidem & salutem consequendam, æquè validam esse non posse, ubi legitima vocatio non præcedat, asserere nõ dubiter. Quomodò enim, inquit, audient sine prædicante, quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10.

Secunda causa est bonus ordo, Ecclesiæ ejusq; regimini valdè salutaris. Cum enim in cœtu & congregatione Christianorum secundùm Apostoli effatum, omnia fieri debeant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. Cor. 14. non sine discrimine quemlibet ad Ministerij partes obeundas admittendum, sed justâ demùm præcedente indagine sufficientiæ per personam vocandam, vocationem communicandam esse manifestè colligitur. Nec obstat quicquam, quod apud Prophetam Esaiam cap. 16. versic. 6. legitur, de populo in universum, quemlibet nimirum

Explicatio dicti Esaiæ quo sine discrimine sacerdotis nomen membris Eccl. attribuitur.

rum illius sacerdotis nomine insigniendum fore; cum longè aliud sit loqui de ordinario ministerio, quod singularem sibi in congregatione hominum statum vendicat; aliud verò loqui de privato cujuslibet erga Deum & proximum officio, quomodò quilibet Christianus non tantùm suæ animæ sacerdos est, sed in casu etjam necessitatis cursu extraordinario sacramenta dispensare & reliquas Ministerij actiones rectissimè exercere potest, immò debet; sicuti hoc in casu Ziporam filium suum circumcidisse Moses testis est, Exod. 4. Et apud nos quoq; ubi infantes de vita periclitantur, non expectato Ministrorum Ecclesiæ adventu ab obstetricibus aut alijs circumstantibus pijs matronis Baptismus administratur.

Tertia causa est salus ipsius docentis. 3.
Cum enim præ omnibus alijs vitæ ordinibus sacrosancto Ministerio vel maximè Diabolus insidietur, atque ex altera parte Hæreticorum strophis, ex altera verò calumnijs & odijs magnatum pijs Ecclesiæ ministris multum negocij facessat, unica inter hosce va-

riarum afflictionum fluctus consolatio & sacræ anchoræ instar est vocatio legitima, quæ adeousq; constantes & strenuos veritatis confessores reddere potest, ut vitam & facultates suas saluti Ecclesiæ postponant, & omnia stercoris instar floccipidant, si modò Christo aliquid lucrifaciant, Philip 3. Rectè proindè docet invariata illa, & nunquam satis landata Principum protestantium confessio, asserens: quod nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut [illegible]ramenta administrare, nisi ritè vocatus? *Art. 14.* At verò discrimen hîc aliquod, quod quidem media vocationis attinet, inter Ecclesiam liberam & pressam faciendum omninò censemus. Ad illam quidem ea, quæ hactenus dicta sunt, jure optimo referuntur: hæc verò in constituendis Ecclesiæ ministris non eadem liberate perpetuò mediis ordinarijs uti potis est. Atqui tunc, uti dignitas & fructus seu vis salvifica verbi cœlestis, non ab authoritate prædicantis [qui Donatistarum furor est] dependet: sed verbo ipsi, eò quod Dei verbum est, immediate adhæret; ita

si purè

si purè illud ipsum prædicetur, à quocunq; etjam in Ecclesia hoc fiat, fructu suo omninò hanc prædicationem privari, asserere haud licet, idq; eò minus, quoniam Apostolus Christum πάντῃ τρόπῳ εἴτε προφάσει prædicandum esse, seq; super hac quoq; prædicatione gaudere & gavisurum esse expressè pronunciat, Philip. 1.

II. Admirandum Dei consilium, quo in vocatione Ministrorum vtitur, consideratione dignum est. Non enim semper Abrahamum, [illegible]hu, Eliam, aut heroico Spiritu ac μεγαλοψυχίᾳ præditos evocat, & sacris functionibus præficit: sed quandoq; etjam Ionam & imbelles columbas ad prædicandum Evangelium [opus longè gravissimum] emittit, cujusmodi exempla occurrunt plurima. Sic Moses Exod. 4. vers. 10. profitetur, se esse hominem impeditioris & tardioris linguæ. Jeremias negat, se posse Deo in statione Ecclesiastica inservire, eò quod puer sit. Ierem. 1. v. 6. Hic Ionas adeò est timidus, vt potiùs, quàm vocationi divinæ parere velit, se in summum vitæ discrimen conjiciat. Paulus persecutor erat Ecclesiæ tunc

Deus in vocandis Ecclesiæ ministris est mirabilis.

temporis acerrimus, id quod videre est, Act. 9. & ipse id non diffitetur, 1. Cor. 15. quandò se abortivum fœtum nominat, & qui non sit dignus vocari Apostolus, *1. Timoth. 1.* ideò, quòd persecutus sit Ecclesiam DEI: *Horum tamen ministerio DEVS tantoperè delectatur, ut Ionam quidem, priorem* vocationem *negligentem, denuò non tantùm vocet, sed in ventre piscis miraculosè etjam conservet;* Mosen *verò partim miraculis reddat conspicuum, partim eidem eloquentiâ* Aaronis *succurrat, adeoq; reliquorum, quamvis maximè imbecillium, vocationes sibi cordi esse haud obscurè testetur, quod quibus de causis Deus faciat, collectu facilè est. Primò propterea, ne ministerium humanitùs regi & viribus hujus seculi sustentari nobis persuadeamus: sed certi simus singulari Dei* κυβερνήσει *illud propagari & conservari,* cujus virtus etjam in infirmitate perficitur, *2. Cor. 12.* Et qui ideò, *vti inquit Apostol.* non multos sapientes, secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: Sed *τὰ μωρὰ τῦ κόσμυ* elegit, ut con-

Causæ duę cur non semper æquè fortes ad ministerium à Deo evocẽtur. 1.

confundat fortia, *1. Cor. 1 v. 26. Secundò effulget ex hoc regimine Ecclesiæ plusquam mirabili radius omnipotentiæ divinæ, quæ sanè in conservatione rerum per se fortium atq; præstantium usq; adeò lucida non est: tunc verò multò redditur illustrior, sicubi eam infirmis & minùs validis ità inservire animadvertamus, ut hujus beneficio abjectissima etjam hujus mundi elementa res longè maximas perficere apta reddantur.*

III. Verba vocationis Ionæ quemlibet Ecclesiæ ministrum legitimè vocatum, quomodò in statione sua prudenter versari, & spartam demandatam exornare debeat, commonefaciunt. Monet autem ea quemvis, ut primò surgat, quæ vox omnem desidiam & segnitiem longissimè exulare jubet, & cuilibet Ecclesiæ Doctori stimulum addit, ut diligentia atque assiduitate muneris sui partes exequatur, memor, eum à Domino maledictum pronunciari. *qui facit* opus Domini negligenter, *Jerem. 48. versic. 10. Pari modo etjam Apost. Paulus omnes in universum Christianos admonet, ut* studio non

Vocatio Ionæ instar instructionis omnibus Ecclesiæ ministris in cursu officij esse potest. 1. ſ ministri verbi sint seduli.

non sint pigri, *Rom. 12. v. 11.* qui idem *Timotheo author est*, ut semetipsum ad pietatem exerciat *1. Tim. 4. v. 7.* gratiâ communicatâ suscitet, *v. 14.* sibi & doctrinæ attendat, *v. 13.* ἐυκαίρως καὶ ἀκαίρως verbum Dei prædicet. *2. Tim. 4. v. 2.*

II. Abstineant à studio πολυπεραγμοσύνης.

Secundò, quemvis etiam Ecclesiastici ordinis hominem Jonæ vocatio à πολυπεραγμοσύνης *studio revocat, eò quod nihil aliud quàm prædicationem verbi Jonæ demandat: cumquè hoc nostro etiam tempore opus ministerij, ulteriùs quàm ad verbi prædicationem eique adhærentem sacramentorum dispensationem non excurrat, ij sibi cum primis sententiam hanc dictam putent, qui alterum pedem in cathedra Ecclesiastica, alterum verò in rostris politicis positum habent, atque ubi secularibus negocijs quandoq; adhibentur, & consilia politica suppeditando latera principium atque magnatum cingunt, maximè videri volunt, & inter celebriores Ecclesiarum rectores hoc nomine numerari, cum tamen ulterius vocatio eorum haudquaquàm sese extendat, quàm ad id, quod hic Jonæ dicitur:* Prædica, seu per-

perfice ea, quæ ad animarum curam ex præscripto verbi Dei dirigendam pertinent. *Qua de causa* Apostolus *etiam* Timotheo *scribit*, ut laboret sicut bonus miles Iesu Christi, cum nemo militans Deo implicet sese negotijs secularibus, *2. Tim. 2. vers. 4. Et nota sunt tragica exempla, cùm nostri hujus, tùm etiam antiquorum seculorum, commonstrantia, quàm turpiter sæpè numero ij, quibus opus Ecclesiæ impositum erat, cum se civilibus negotijs admiscuerunt, sese dederint, uti præter reliqua in Funccio, Anno 1566. in Borussia ob πολυπραγμοσύνης studium decollato, videre licet; qui, jamjàm unà cum alijs duobus capite plectendus, in hæc verba prorupisse scribitur:*

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge, ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

III. Conciones in specie, necessitate id requirente, auditoribus applicatæ.

Tertiò, quomodo prædicatio sit dirigenda & auditoribus applicanda, hac Jonæ *vocatione monemur, quæ monstrat, non sufficere, ut in genere solummodò fiant commonefactiones, sed articulatè atq; distinctè ad hunc vel illum quandoq; concionem esse dirigendam, siquidem Jonæ mandatur,*

ut

ut distinctè & expressis atrocissimorum scelerum authoribus clamet; *idq; tunc vel maximè observandum est, ubi vitia jam non ampliùs sunt privata, sed publica, & cum scandalo manifesto conjuncta, ibi enim valet Regula Pauli:* Peccantes coràm omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. *1. Timoth. 5. versic. 20 Ac quamvis politici viri & cumprimis Cryptocalviniani indignè ferant hujusmodi publicas redargutiones, præcipuè si eæ cum* ἐλέγχῳ ἐπιτροδιδασκαλίας *sint conjunctæ: tamen ubi ad Dei voluntatem in verbo Prophetico & Apostolico manifestatam & antiquæ Ecclesiæ praxin respexerimus, eas vero docendi modo quàm maximè consonas esse liquidò deprehendemus.* Christus *certè* vetat sanctum dare canibus, aut margaritas porcis objicere, *Matth. 7. quod cum observari non possit, nisi discretè hujus vel illius vita simul observetur, continuò palam est generales & communes hujusmodi conciones esse insufficientes & nimis elanguid.* Pari modo Mosi *demandat* Deus, *ut si fortè in populo idololatra reperiatur, ipse non generi-*

cè

ricè tantùm factum hoc reprehendat, sed distinctè & diligenter inquirat, & postmodùm hominem hujusmodi è medio tollat, Deut. 17. v. 4. &c. atq; huc referri possunt omnes scripturæ loci cùm veteris, tùm novi Testamenti, rigorosas παρρησίας ministerio magnoperè commendantes; quales extant Esa. 58. Ezech. 3. &c.

Antiquam Ecclesiæ praxin quod attinet, ejus exempla infinita penè recensere possemus. Illud verò maximè memorabile est, quod apud Sozomenum lib 7. c. 24. de Ambrosio legimus. Cum namq; Theodosius Imperator aliquantò crudeliùs animadvertisset in cives Thessalonicenses & instinctu suorum consiliariorum aliquot millia civium internecioni dedisset, posteà Mediolanum rediens ad Ecclesiam processit, ut oraret: sed cum jam ad ostium perveniisset, occurrit ei Ambros. ejus civitatis Episc. & apprehensa illius purpura in præsentia populi, siste gradum, inquit, homini n. ob peccata prophano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti fas non est, antequá pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium.

Theodosius Imper. ab ingressu in Ecclesiam arcetur

solium, vel ad divinorum mysteriorum communionem admitti. *Simile quid feciſſe legimus* Fabianum Episcopum Romanum, Anteri *ſucceſſorem*, *qui* Cæſarem Philippum, *propterea quod* Gordianum, *nihil tale merentem*, *unà cum alijs interfici curaverat*, *à communione ſeparavit*, *& prius quàm publicam pœnitentiam ageret*, *ad ſacræ Euchariſtiæ perceptionem nullo modo admittere voluit*. *Quò pertinet etiam* Iohannis Baptiſtæ, Iohannis Chryſoſtomi, [*Socrates lib. 6. c. 16.*] *aliorumq; in redarguendo παρρησία*. *Et graviſſima eſt* B. Lutheri *hac de re ſententia in Explicatione* Ioëlis *contenta*, *quæ ſic habet*: Quod ſi Paſtori conſtat de notorio aliquo peccato, omninò tenetur hoc facere, ne tales ad Euchariſtiam admittat, niſi & pœnitentiam agant, hoc eſt, peccare deſinant, & vera confeſſione oſtendant, ſe damnare & odiſſe peccata: *Et paulò poſt*: Si Magiſtratus hac in parte Eccleſiaſticam cenſuram impediat. Prorſus ex Dei ſervo in Satanæ mancipium degenerat. *Tom. 4. Jen: fol. 818.*

Cæte-

Cautelæ in redargutionibus specialib' adhibendæ.

Caterùm hic probè notandæ sunt cautelæ sequentes. 1. Ne in hujusmodi correctionibus aliquid detur affectibus nostris & vindictæ privatæ, cum hac in parte omnia fieri debeant cum dilectione corrigendi, non cum odio persequendi. *Sicuti eleganter* Augustinus *contrà* Epistolas Parmeniani *pronunciat, lib. 2. c. 21.* 1.

2. Vt observetur processus verus & legitimus, qualem descriptum habemus Mat. 18. & alibi. 2.

3. Vt in ἐλέγχω adhibito vel redargutione severiori sit Zelus κατ' ἐπίγνωσιν, ità nimirũ comparatus, vt & rei, quam reprehendimus, vel omnimodam, vel certè mediocrem habeamus scientiam, itidemq; factum castigatione dignũ satis sit notorium, & concionatori seu Doctori Ecclesiæ secundum potiores circumstantias notum. 3.

Omnia peccata non sunt æqualia.

IV. Apparet ex causa missionis Ionæ *impulsiva, κραυγὴ scilic. τῆς κακίας, peccatorum omnium non eandem planè, sed diversissimam esse rationem. Sic namq; quædam comparata ita sunt, ut occultè adhuc serpant, nec adeò publicè illorũ deformitas omnibus sit exposita, quale illud est,*

Genes. 4. vers. 7. quod dicitur ἐπὶ θύραις præ foribus sive quiescens. Alia contrà cùm publico & notorio scandalo sunt conjuncta, de quibus verè scriptura loquitur, quòd sint clamantia & in cœlum usq; ascendentia; sicuti hanc descriptionem adhibet. 1. Voluntario homicidio, Gen. 3. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 2. Peccato Sodomitico, de quo legimus Gen. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis; descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. 3. Mercedi operarijs detentæ, vt Jacobi 5 Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fundata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Zebaoth introivit.

Species clamantium peccatorū.

1.

2.

3.

Peccata quædam quomodo dicuntur clamare.

Clamant autem hujusmodi peccata non uno saltem modo, sed variè & potissimùm tripliciter. 1. Quod scelerati sese in peccatis jactitant, sicuti de Judæis Dominus conqueritur, quòd peccatum suum quasi Sodoma prædicaverint Esa 3

1.

2. Quan-

2. Quandò flagitia hominum ad ἀκμὴν perveniunt, tùm ipsa quoq; ingenti clamore divinam ultionem arcanis conscientiæ stimulis exigunt. 3. Deniq; pij impijs admixti precibus suis peccata malignantium Deo offerunt, Ezech. 16. 2. Pet. 2. versic 8. Quin & sancti Angeli hac in parte non tacent. Matth. 18. v. 30. 31. Hocq; vel maximè adversùs Stoicorum παράδοξον tenendum est, qui ex eo, quod quicquid non licet, in quovis genere par sit, omnia etiam peccata, quæ talia sunt, paria esse opinabantur: contrà quàm sententiam omnes illæ peccatorum actualium species, unà cum suis ex sacra scriptura depromptis fundamentis, cumulo satis magno afferri possunt.

2.

3.

V. Insigne specimen φιλανθρωπίας Ionæ ad Ninivitas missione Deus edidit. Etsi enim in V. Testamento ità placuerat Majestati divinæ, ut populus Iudaicus, qui inter omnes nationes erat minimus. Deut. 7. v. 8. eligeretur, & ut Levit. 20. v. 24. loquitur separaretur à cæteris populis: tamẽ inexhausta illa divinæ misericordiæ profunditas facere non potuit,

Missio Prophetæ ad populum extra Ecclesiam degentem, misericordiæ DEI infinitæ indicium est.

quin sapiunculè iteratis vicibus, ad eos etjam, qui extra erant & à synagoga Iudaica secluſi, benevolentiæ & miſerationis ſuæ radios penetrare pateretur, ſicuti in præſente exemplo videre eſt, quod quidem ſi ad reliquas nationes, quas in veteri Teſtamento Deus ſpecialiter non invitavit, appendas, & cur Ninivitas *ad pœnitentiam vocare, alios verò extra Eccleſiam ejus temporis poſitos præterire voluerit, inquiras, rectè nos cum Apoſtolo illud* altitudini divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, *adeoq; judicijs & vijs ejuſdē incomprehenſibilibus & imperveſtigabilibus adſcribere cenſemus, de quibus clarè* Auguſtinus: ad prædicationē, & eam, quæ eſt ſecundum propoſitam vocationē, cur alij pertineant, occulta cauſa eſſe poteſt, injuſta eſſe nō poteſt. *Epiſt. 59. ad Pau. Atq; hic valet illa ſcholaſticorū inter* voluntatē ſigni & beneplaciti *diſtinctio à* Calvinianis *miſerè depravata, quarū illa nihil aliud eſt, quam quæ verbo Dei extat manifeſtata, & voce legis ac Euangelij incluſa; hæc verò ad miranda Dei judicia, tàm in Oeconomi-*

Rom 11. verſ. 33.

Vocatio Ninivitarum ſpecialis, ad aliorum in V. Teſt. gentium ſpeciatim nō vocatarum, conditionem collata, eſt ex iis, quorum in hac vita ratio plenè reddi non poteſt.

câ & Politicâ quàm Ecclesiæ & singulorum credentium gubernatione extraordinaria, voluntati tamen signi nequaquam contraria, dirigitur.

PARS SECUNDA CAPITIS primi.

SEcunda primi Capitis pars Ionam re & nomine nobis ob oculos sistit, hominem nimirùm præ meticulositate vocationi divinæ recalcitrantẽ, & voluntati Altissimi sese subtrahentem; Is dum fuga in mare sibi consulere studet, in summum vitæ discrimen semet conjicit, & sorte jacta in mare præcipitatur, ubi tùm de vita atq; salute ipsius penitus actum, esse ex circumstantis periculi magnitudine nemini non colligere licuisset.

PARAPHRASIS TEXTUS.

[Et surrexit] Quia Propheta non commemorat, se è vestigio fugam adornasse, sed eam ita orsum fuisse, vt prius surrexerit (quæ loquendi forma quandam præparationem innuere videtur)

ideoq; verisimile est, quod primò omnium antequam ad mare properaret, rem omnem diligenter ponderaverit, rationis acumen ad negocium præsens fideliter appenderit, & dubio procul, acceptandáne esset, an verò rejicienda præsens vocatio, aliquandiu dubius hæserit. Rationes quæ dissuadere poterant Jonæ, ut vocationi divinæ subscriberet, erant potissimum hæ.

Primò, quod res esset antehac in populo Judaico rarissimi exempli, gentibus extra Ecclesiam gratiam Dei & remissionẽ peccatorum, si pœnitentiã agerent, solemniter annunciare: quod exemplum Jonam aliquandiu dubium habuisse à vero absonum non est.

Secundò, loci quoq; durior conditio non parùm eidem scrupuli injecit. Neq; enim in medio populi Israëlitici: sed hominibus à veri Dei cultu alienissimis ipsi prædicandum erat, quæ res certè periculo non carebat, siquidem idem, quod Paulo & alijs in actis Apostolorũ evenisse legimus, Jonæ accidere potuisset, ut non tantùm verbis, verùm etjã verberib. malè

tra-

tractatus fuisset, præcipuè si de cultu Dei Israëlitici, peccatorum commissorum atrocitate, & alijs auditu Ninivitis satis injucundis sermonem instituere cœpisset.

Tertiò, Populi Ninivitici frequentia Ionam à proposito deterrere poterat. Si enim supremi ille, inter Græciæ Rhetores, subsellij, Demosthenes, unũ Phocionẽ civem Athen. eloquentiâ & morũ gravitate incomparabilem ità veritus fuisse legitur, vt cum in senatum aliquandò oraturus prodijsset, coràm ipso eloqui pertimuerit, in aurẽ adstantibus susurrans: ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς πάρεστιν: quid mirũ fuerit, si Ionam quoq; tot hominum millibus circumvallatum, metus invaserit, eiq; ne vocationem præsentem reciperet, auditorum varietas dissuaserit.

Quartò, Terrebat Ionam nostrum prædicationis eventus dubius; quià enim, vti ipse capite quarto loquitur, probè sciebat, Deum clementẽ & misericordẽ esse, patientẽ & multæ miserationis, ideoq; si populus Niniv. ex animo de admissis sceleribus doleret, in promptu erat colligere, eversionem Ninives non subsecuturam,

atq; ità apud multos fidem, qua Ionæ concionem susceperant, rursus ruituram. Et hæ quidem potissimæ erant rationes Jonam moventes, ut potius, quàm vocationem oblatam reciperet, fugâ arreptâ sibi suæq; existimationi consulendũ putaret.

[Fugit itaq; in Tharsis] *Non uno sensu terminus hic fugæ Jonæ ab omnibus accipitur. Pontificiorum aliqui, (inprimis Melchior Zangerus in exam. version. Bibliorum Lutheri) quos non immeritò* Prudentulos B. Lutherus *in explicatione hujus loci nominat, fingunt* Ionam *abijsse* Tarsum, *quod oppidum* Ciliciæ *est, ex quo* Paulus Apostolus *erat oriundus, atq; hanc sententiam, sicuti pleraque alia, è schola Iudæorum hausisse videntur. Hos namq; prædictæ opinionis authores fuisse ex Iosepho lib. 9. Antiquit. cap. 11. videre est.*

Rationes commonstrantes, quod Ionas non fugerit Tarsum.

Cæterùm illam subsistere non posse, multipliciter evincitur; 1. quidem, quod vox Tharsis *nullibi pro civitate* Ciliciæ Tarso, *sed pro mari, & quidem vasto ac spatioso accipiatur (Iom namq;, quod idem aquam seu mare denotat, tàm lacubus &*

sta-

ſtagnis minoribus, quàm mari magno attribuitur) id quod luculenter apparet in Pſalmo 72. v. 10. ubi Regius Propheta ità canit: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent; *jam verò in* Tarſo *regiam ſedem fuiſſe nullius probati ſcriptoris authoritate oſtendi poteſt, vt ità ſi dicti hujus ſenſum exprimere velimus, neceſſariò vertendum ſit, Reges maris Meſſiam adoraturos, eidemq; munera oblaturos. Similis ſenſus eſt Pſalmi 48. v. 7. naves Tharſis conteres. Eſa. 23. v. 14. ululate naves Tharſis: & reliquorum omnium, ubi dicta vox occurrit.*

Tharſis non ſignificat Tarſum ſed vaſtum mare.

2. *Corroborat* Lutheri *hanc verſionem fugitivi Ionæ propoſitũ*; Sicuti namq;, *vt* Haymo Epiſcopus Halberſtadenſis *in comment. ſuper Proph. minores habet*, fugitivus locum, quo fugiat, non eligit, *ità veriſimile eſt, tàm certùm & præclarum emporium*, Tarſum *videlicet, quo fugeret, Prophetam haudquaquam ſibi præfixiſſe, ſed ne Niniviti vaticinari cogeretur in mari mediterraneo ſatis ſpatioſo, quocunq; ſaltem caſus ferret, vagari voluiſſe.*

3. *Accedit etiam antiquorum Ecclesiæ Doctorum authoritas*, Hieronymi, Haymonis Halberstadensis, Ruperti Tuitiensis, *immò modernorum quorundam Pontificiorum, cæteris rectiùs sentientium, inter quos Franciscus Ribera Jesuita postremus non est.*

Vers. 3 Ioppe civitatis descriptio.

Portus, in quo anchoram solvit Ionas, *nominatur* Joppe, *cujus civitatis scriptura etiam multoties meminit, vt Iosuæ 19. v. 46. 2 Paral. 2. v. 16. Esd. 2. v 7, &c. fuitq; portus Jerosolymæ & Judææ totius ad quem ligna & lapides pro templi structura, de Libano ratibus transferebantur, atq; hinc terreno itinere curribus pervehebantur Ierosolymam. In hac civitate* D. Petrus Tabitam *à morte suscitavit (Act. 9. & 10) itidemq; hic hospitatus apud* Simonem Coriarium, *recepit viros de* Cæsarea à Cornelio Centurione *ad Angeli monitũ eò transmissos, mutavitq; civitas hæc aliquoties nomen, siquidem tempore* Hieronymi *dicta fuit* Iapho; *nunc* Iaffa *nominatur. Hic conscensa navi, ne quid moræ itineri, quod præmanibus habebat, injiceretur, preciũ nava-*

navale Jonas *confestim numerat, atq; sic se, vitam & fortunã suam navi concredit, omnia eo fine*, ut faciem Domini effugiat; *quæ locutio ità non est accipienda, ac si latuisset Prophetam, DEum ubiq; præsentem fore: Quis enim dubitat Psalmi 138. verba*: Quò ibo à Spiritu tuo, & quò, à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, illuc quoque manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, &c. *Itemq; alia sacrarum literarum de* Omnipræsentia DEI *testimonia viro, Prophetico spiritu prædito, probè fuisse cognita: sed hoc tantum innuere voluit* Ionas, *se tunc à facie* DEI *recedere, ubi colloquium ipsius & familiarem conversationem, vocationis munus offereniem, evitare posset; quem finem se tunc consecuturum ratus fuit, si desertâ terrâ Judaicâ, in qua cum populo suo familiariùs conversari Deus fuerat solitus, maris mediterranei spatiosam longitudinẽ emetiretur,* Vers. 3.

Ire à facie Dei, Ionæ quid significet.

tur, & loca à terra Judaica remotiora, sibi habitanda quæreret.

Vers. 4. [Dominus autem misit ventum magnum in mare & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur &c.] *Quo remedio se salvum fore existimabat Propheta, eo ipso à Deo corripitur, & ad pœnitentiã trahitur, ut non immeritò de eodem dicere possimus:* incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin.

Gradus periculorum Ionæ.

Describuntur autem aliquot gradus seu differentiæ periculorũ, quibus Ionas expositus & penè obrutus fuit.

1. vers. 4. *1.* Navis periclitatur conteri, *ità nimirùm, ut hinc inde contignationes cœperint à se invicẽ divelli atq; luxari, rimæ, per quas aqua subintravit ubertim prominere, velis disruptis Malus ruinam minitari. Quod si tunc à Iona sciscitari libuisset, quanam fronte vitam nauticam exciperet, illud procul dubio Senecæ;* Hominis non sapientis inventa sunt navigia, quibus amnes, quibus maria transimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis quæ huc atq; illuc cursum navigii torqueant

queant, &c. *quilibet responsi loco tulisset.*

Causæ hujus periculi adduntur diversæ. 1. Instrumentalis ventus, *non quidem placidus & suavis, qualis esse solet, qui tempore dierum canicularium spirat, & Etesiarum nomine venit, sed dicitur* ventus magnus [Ruach gadolah] *turbinis instar, cujus immoderato flatu tempestas maxima excitata fuit.* 2. *Causa* Vers. 4.
πρωταρχικὴ *seu principalis nominatur* DEVS, *à quo, ad correctionem fugitivi Ionæ,* tanta tempestas mari immissa est, *hæcq; eò additur, ut non secundum consuetum cursum causarũ secundarum, flatus vehementiores quandoq; excitantium, hanc tempestatem accidisse persuasissimus, sed ut constet, hanc tempestatem fuisse κατ' ἐξοχὴν magnam, qua procul dubio navis modò ad sidera usq; evehi, mox iterùm ad profundissimum maris locum concitatis fluctibus deportari visa est, cujusmodi ventũ supra modum vehementem pauculis, sed valdè elegantibus versibus hunc in modum Poëta aliquis describit:*

Quin

Iouiani Pontani versus.

Quin & fumida vis, tellure excluſa, levemquè
Aëre per ſublata, ſuoquè evecta calore.
Conflictata diu propter terrasquè ſolumquè,
Aridaquè, & multo firmans ſeſe, aucta vigore,
Vexatquè, infringetquè agitans pulſum aëre, & una
Disjicit, infremitatquè æquor, cavaquè antra reſultant,
Torquentur nemora, & valles ad ſidera clamant,
Pulvereusquè diem tegit intra nubila nimbus.

2. Vers. 5. *Altera moleſtia, qua oneratur Propheta, hæc eſt, quod nimirùm feſſus curâ, curſu & laboribus partim animæ, partim corporis* dormiens in navis parte inferiori, *in apricum protrahitur, & ad preces fundendas extimulatur, quod ità factum legimus, vt 1. graviſſimè reprehenſus fuerit, quaſi nunc tandem in præſentiſſimo periculo, navi propemodùm ſubmerſa, quietem atq; ſecuram vitam agere ve-*

re velit. Quid, inquit Navarchus, sopore deprimeris; quâ brevi sententiâ integram objurgationem, juxta horum hominum mores procul dubio satis rigidam, tanquàm compendio Propheta comprehendere voluit. Deinde quoq; addit rector navis, cum reliqui omnes jam clament ad DEum suum, & pariter in exoneranda navi & ejiciendis mercibus toti sint, par est, ut tu quoq; in eodem periculo constitutus, non sis meliori, quàm cæteri sunt, loco; proinde tuum quoque Deum invoca, si fortè recognoscat, ut non pereamus.

Tertius gradus periculorum & difficultatum, quæ Ionæ superandæ erant, fuit sortilegium, quo ipse tempestatis hujus causa publicè declaratur, unde jam omnium oculi in miserum Prophetam tanquam bipedum nequissimum fuerunt directi, ipseq; ut κάθαρμα, quod terra expuisset, & mari absorbendum tradidisset, sine dubio est habitus: quod quantopere viri, alioquin præter modum meticuloſi, animum excruciaverit, collectu facile est.

Cæte-

Cæterùm sortis hujus alea non nisi re benè deliberatâ & omnibus propositâ, jacta fuit, quod exinde apparet, quiâ Propheta ait: quemvis navi detentum ad
Vers. 7. proximum suum dixisse, ut veniret, & sortilegio sese sisteret. *Ideoq; cum Ionas etjam in sortis missionem sine dubio consenserit, tantò majori rubore postmodum (ubi reus declaratur) perfusus & nota dedecorosa propalàm insignitus fuit.*

Digna tamen notatu est nautarum erga Ionam modestia, qui non abrepti irâ subitaneâ Jonam continuò in profundum maris præcipitant, sed priusquam severius aliquod exemplum statuant, omnia experiri malunt media, quibus se, navim, & Ionam quoq; è præsenti periculo liberare possint. Et primò quidē quinq; potissimùm ex Iona sciscitantur. 1. quid-
I. Nautarum gentilium erga Ionam modestia. vers. 8. nam perpetraverit facinoris, cujus causa Deus tantam tempestatem excitet. 2. quanam ex regione sit oriundus. 3. quisnam sit terminus itineris, quod faciebat, seu quo tendat. 4. cur, cum ipse Deum habeat infensissimum, aliorum rationem non habuerit, sed reliquos

quos quoque in navi præsentes in tantum periculum adduxerit, 5. quid tandem de se fieri velit, ut reliqui maris sævitiam effugere, & semet ab æstuante ira divina conservare queant.

Ad primam illarum respondet Ionas, se revereri Dominum Deum cœli, qui fecit mare & aridam: *quod, si ad professionem, in qua educatus erat, & quam, quod θεωρίαν attinet, propheta exactè sciebat, accommodes, verum quidem Ionam respondisse, in confesso est: sed si de πάξει fidei salvificæ illud intelligas, dubium hinc exurgit maximum, quomodo Propheta non ambulans in mandatis Domini, sed fugiens à facie Dei dicere possit, se timere DEVM, qui fecit mare & aridam? ubi distinguendum esse inter timorem servilem & filialem nemo non videt, ut idem sit, ac si dixisset Jonas; illius omnipotentis DEI verum cultum cognitum habeo, cui cum minimè obsecundaverim, hinc est, cur manum ejus omnipotentem tantopere, quæ ad pœnam modò me abripere videtur, timeam, & consideratione justitiæ ejus totus cohorrescam.* vers. 9.

Ionæ timor est servilis.

vers. 9. *Ad secundum* Ζήτημα *sine tergiversatione regerit* Hebræum *se esse, hominem ex populo famosissimo, cui se stupēdis miraculis Deus multoties manifestaverat, illumq́ mirabiliter in hunc usq́ diem adversus impetus hostium quorumvis conservaverat, oriundum.*

Tertium quæsitum silentio Propheta præterit; neq́ n. quod commodè responderet, habebat, præcipuè cum non rectà ad hunc vel illum viæ terminum contenderet, sed vagabundus, quocunq́ saltem casu ferretur, expectaret.

vers. 12. *Ad quartum & quintum Nautarum postulatum, quo jugulum suum peti non obscurè Propheta sentiebat, respondet,* se saltem in mare projiciendum esse, quod ubi factum fuerit, tùm fore, ut fluctus sui causa concitati acquiescant, & tempestas continuò sedetur.

11. *Alterum pietatis specimen nautæ eò edunt, quod priusquam* Ionam *è navi in mare dant præcipitem, summo studio & labore hoc agunt, ut ex præsenti periculo enatare & Ionam pariter conservare pos-*

possint, ideoq; ubi vela suum officium ulteriùs facere recusant, ad remos confugiunt, & communi opera, quantùm ipsis virium supererat, terram petunt, idq; eos non segniter egisse, sed cum impetu quodam vehementi septuaginta probè animadverterunt, ideoq; verba illa (remigabant viri) reddiderunt (καὶ παρεβιάζοντο οἱ ἄνδρες) quod significat, cum violentia & coactione quadam quasi naturam immutaturi, illiq; vim illaturi, laborabant, ut vel tandem effugere, & Jonam semimortuum secum salvare queant. vers. 13.

Tertiò tandem, ubi jam nulla humana ope Jonam liberari posse conspiciunt, eundem in mare è navi projiciunt, adhibitâ oratione verè patheticâ, qua petunt 1. se conservari, ne unà cum anima Jonæ intereant. Cum enim è duobus malis, quorum utrumq; inevitabile est, minus sit eligendum; ideoq; judicabant hi nautæ, satius esse, illum ipsum, qui ob antegressum delictum quodammodo causa erat præsentis tempestatis, solum è medio tolli, quàm ut reliqui omnes navi detenti III. 1.

insimul fluctibus absumerentur. Cæterùm quia è contrà nõ sunt facienda mala, vt inde eveniant bona, hinc est, cur dubij hæreant, num Ionæ interitu Deum placent, an verò magis magisq; ad iram concitent; ac propterea clamant. Quæsumus
vers. 14. Domine, ne pereamus [benepheſch] in anima viri hujus, *seu vt septuaginta:* ἵνα μὴ τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου τούτου propter animam hujus hominis; *quæ verba duplicem sensum præ se ferre videntur, vt primò idem sonent, quasi dicant: animæ hujus peccata nobis non imputes, vt nos unà ob fugitivi hujus delicta absorbeamur; ad quem sensum* Hebræus *aliquantò propiùs accedere videtur: Sed & ità accipi possunt, quasi nautæ dubij, jurené, an injuria Ionã ejiciant, proprium suum factum, cujus bonitatem in medio relinquunt, deprecentur, dicentes:* ne intereamus in anima, *id est, ejiciendo animam ejus in mare, eamq; enecando. Alterum quod petunt, hoc est:* ne des super nos sanguinem innocentem, *ubi certè illud cum primis admiratione dignum, & insignis pietatis & dilectionis erga proximũ exem-*

exemplum est, quod cum sorte Jonas sui causa tantos tumultus marinos excitari convictus esset, ipseq; insuper sibi ipsi sententiam mortis dixisset, nautæ tamen virum hunc adhuc innocentem nominant: quod quidem sic accipi nullatenus potest, quasi existiment, eum coram Deo omninò innocentem esse, eò quod Ionam præsenti tempestate à Deo ad pœnam rapi nossent. Innocentiæ autem testimonium Ionæ propterea communicant, quia ab ipso aliqua veræ religionis præcepta procul dubio acceperant, & nulla in parte se unquam læsos sentiebant; hinc commiseratione moti, dum nihil æquè inviti faciunt, quàm ut Ionam mari immittant, præ condolentia, & ut grati animi signum quodammodò edant, eum innocentem pronunciant.

Tandem verè omne id, quod agunt, ad Dei optimi maximi justissimam ac planè immutabilem κυβέρνησιν referunt; Tu, inquiunt, Domine, sicut voluisti, fecisti, quasi dicant: Iusta sunt judicia tua & opera tua perfecta, ideoq; cum nos tantùm simus hujus tuæ voluntatis indigna in- IV. vers. 14.

strumenta, per quæ Ionam præsentem in mare protrudis & pœnæ subdis, tibi quoq; totum negotium committimus; cumq; ita velis, judicio tuo justissimo eundẽ in mare damus, præcipitem, atq; ità cum reverentia quadam tulerunt Ionam & miserunt in mare, *quod cum factum esset, tempestas cõtinuò sedata est, ita quidem, ut mare dicatur* stetisse, *qua voce summa maris tranquillitas indigitatur. Neq; n. unquã mare ità sedatum conspicitur, ut fluxu & refluxu careat, id quod tamen hoc loco Propheta innuere videtur, ubi stagni instar stetisse, & ne minima sui parte mare motum esse edisserit. Fuit autem hujus miraculosæ tranquillitatis, à Deo profectæ apud nautas hic effectus, ut primò* timore corriperẽtur, *deinde verò* hostias, *ubi ad terram deveniissent,* immolarent & vota voverent. *Qua in parte fidei ex concione Jonæ conceptæ luculenta incrementa commonstrantur, dum jam ociosa, ea neutiquam est, sed per opera sese exerit, & timore ac dilectione erga Deum & proximum prorumpit, seq; conspiciendam præbet.*

vers. 15. vers. 15.

Quid sit, quod mare stare dicitur.

LO-

LOCI DOCTRINÆ.

I. Fuga Jonæ imbecillitatis in sanctis etiam adhuc hærentis testis est. Quamvis enim hic Propheta satis edoctus fuerit de Dei singulari providentiâ, & miraculosâ suorum conservatione: tamen veretur hominum potentiam, qua motus, legitimam vocationem respuit, & mandato Dei non obtemperat; quod peccatum longè maximum est, & diffidentiæ destandæ exemplum manifestũ. Similia Exempla passim in sacris literis occurrunt, qualia sunt, quod Noah præco justitię *2. Pet. 2. vino inebriatus, scandalum præbet liberis suis, dum nudus in tentorio recubat, & naturæ debitam reverentiam negligit. Genes. 9. versic. 1. Sic peccat Loth incestu, Gen. 19. versic. 33. David adulterio & homicidio 2. Sam. 11. v. 4. Apostoli ambitione, Matth. 18. ver. 1. Petrus abnegatione, Matth. 26. versic. 74 &c. ut ita omnes omninò necesse habeant orare:* dimitte nobis debita nostra.

Sanctis multæ imbecillitates adhærent.

Hoc quantò est verius, tantò crassius

errant Pontificij moderni, talem etiam sanctis in hac vita perfectionem adscribentes, quasi possint non tantùm aliquâ, & quidem inchoatâ obedientiâ Legi Dei satisfacere: sed plus etiam, quam Lex rigorosâ suâ exactione à quovis Mortalium postulat, præstare: idq; dictis hominibus verè adscribi, cumprimis ex Roberti Bellarmini *lib. 4. de justif. c. 10. & 13. videre est: ubi hunc in modum argumentatur:* si homo, *inquit*, potest facere suprà id, quod Deus præcipit, multò magis potest implere præceptum Dei. At verò prius assumit Iesuita, & quibusdam etiam exemplis se evicisse existimat; *ex quo quàm verè hanc ei sententiam tribuamus, liquidò apparet.*

Pontificiorum error de perfectione sanctorum.

Bellarminus existimat, hominem plus posse præstare, quàm Lex Dei exigat.

Cæterùm vanitatem hujus erroneæ opinionis sacra scriptura multis modis redarguit. Sufficiat nobis tantummodò præter jam allata exempla, ingenua illa Apostoli *in Epistola ad Romanos confessio, quandò sic loquitur cap. 7. v. 14.* Scimus quià Lex spiritualis est, ego autem carnalis venundatus sub peccato; *Et paulò post:* Non, quod volo bonum, hoc a-

go,

go, sed quod odi malum, illud facio; *ubi certè Apostolus naturæ suæ perversitatem ad exquisitam perfectionem legis, præter externa membrorum obsequia, internam, adeoq; totius spiritus obedientiam integram & absolutam requirentis, appendens, se tantum adhuc à legis impletione abesse fatetur, ut meritò, quoties naturæ suæ corruptionem intueatur, se infelicem nominet, & qui alterius ope ad liberationem à maledictione Legis inde adhuc indigeat.*

Lex ne à sanctissimis quidem in hac vita impletur.

Et quid multis opus est in re tàm manifesta, cùm ne ullum quidem Mortalium esse, quin sæpius peccet, scriptura aliquoties inculcet. Ecce qui serviunt ei, sunt instabiles, *inquit Jobus, c. 4. v. 18. & 19.* & in Angelis suis reperit pravitatem, quãtò magis hi, qui inhabitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineâ. *Similiter* David *Ps. 32. canit*: Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus: *quo motus fundamento* D. Augustinus, *de peccatorum meritis lib. 2. c. 7.* si quæritur, *inquit*, utrum aliquis in

Omnes homines indies peccãt.

hac vita sit sine peccato, esse non credo: Magis enim credo scripturæ, ubi sanctorum vox est, *1. Iohan. 1.* Si dixerimus, quia peccata non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Hæc fundamenta, quomodò cum legis impletione, quæ homini in hac vitâ falsò adscribitur, stare possit,* Bellarminus *cum complicibus suis viderit.*

Correptio Ionæ profugi testimonium sapientiæ & omnipræsentiæ Dei perhibet.

II. Periculum, in quod Prophetam, à facie DOMINI fugientem, conjectum legimus, luculentum est sapientiæ, vt & omnipræsentiæ divinæ testimonium. Sicuti enim providentia divina non otiosè tantùm spectat, quid in mundo vel boni vel mali agatur: Sed etjam bona promovet, mala verò partim determinat; partim etiam punit, ità ubi Propheta voluntati divinæ resistit, & vocationem legitimam negligit, eo ipso medio, quo se quicquid periculi in Ninive sustinendum erat, effugere posse sperabat, ad pœnam trahitur, & à Domino severissimè corripitur: qua de insigni providentiæ divinæ, inq; ea elu-

cen-

centis immensæ sapientiæ specimine elegánter Gregorius lib. 6. expositi. moral. in 5. capit. Job. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, fors ligat, mare suscipit, belua includit, & quiâ authori suo obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere, portatur. Jubente DEO ministrare homo Prophetiam noluit, aspirante DEO belua Prophetam vomuit. Comprehendit ergò DOMINVS sapientes in astutia eorum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit per quod sibi voluntas humana contradicit. *Hactenus Gregorius. Hocipsum quoque Regius* Propheta David *agnoscit, ideoque in celebranda augustissima Dei providentia, ejusq; præsentia inevitabili, Psalmo 139. totus est;* Quo *inquit*, ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si ascendero in cœlum, ibi tu es: si lectum stravero in infernum, ecce te mihi præsentem. Si sumsero pennas auroræ, & habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua comprehendet me, & tenebit me dexte-

dextera tua. *Id quoties perpendimus, stolidissimos judicemus illos homines, qui se Dei præsentiam & judicium, vel nocturnæ caliginis fiduciâ, vel locorum longioribus διασήμασι effugere, adeoq; his freti præsidijs, liberiùs & quasi Deo, tale quid non vidente, peccare posse persuasi sunt: Quod fascinum delirantium ità quidem dicto Psalmo detegit, vt* noctem etiam quo ad Deum lucis instar sese habere, *nec quenquam quacunq; etiam caligine vt à facie Dei abscondatur, obnubilari posse, pronunciet.*

Vocatio legitima non est temere negligenda;

III. Monemur etiam pœnâ hac, Ionæ illatâ, ne, sicubi legitima nobis vel ad Ecclasiasticam, vel etiam ad politicam stationem vocatio offeratur, eam temerè respuamus, etiamsi fortè periculo omninò nõ careat, quin potiùs certi simus, eum, qui per convenientia media nos vocavit, & posse & velle nosmet itidem defendere, suisq; Angelis demandare, ut portent nos manibus, quatenus nimirum intra demãdati officij limites permanemus, & in vijs nostris versamur, sicuti præter alia scripturæ dicta Psalmus 91. testis est, multaque

que miraculosæ conservationis exempla idem confirmant. Proinde, ubi de vocatione nostra certi sumus, neq; cum Mose linguæ vitium, Exod. 4. v. 10. neq; cum Ieremia ætatis defectum DEO obtendamus, Jerem. 1. v. 6. multò minus cum Iona fugam capessamus: sed memores moniti Apostolici, in vocatione, in qua unusquisq; vocatus, permaneamus, 1. Cor. 7. v. 20. Ammonij itaq; exemplum probari non potest: Is enim (referente Sozomeno) ad Episcopatum vocatus, aurem sibi amputavit, sperans, se hac occasione oblatos honores, à quibus abhorrebat, declinare posse, cum sciret legem esse, quæ prohiberet mancos & mutilos sacerdotijs adhiberi. Lapsus enim est in eo, quod inter sacerdotium Veteris & Novi Testamenti, interq; voluntariam & aliunde evenientem mutilationem non distinxit; & ante ipsum quoq; non parum lapsi sunt, qui in N. Testamento ejusmodi legem sanxerunt.

IV. Fuga Ionæ occasionem nobis præbet, quonam in casu fugere, quandò item appropinquante periculo fortiter persistere

re

re, & quosvis fortunæ ictus excipere oporteat, diligentiùs inquirendi.

Variæ sunt fugæ species.

Est autem fuga non unius generis, sicuti nec persecutio, quæ fugam causat, uno modo sese habet. Quidam enim fugiunt, sicubi ob antegressa scelera ad pœnam abripiantur, itemq; si in prælio hostem sentiant strenuè insequentem, qualis erat fuga regum Sodomæ & Gomorrhæ, Gen. 14. v. 15. Israëlitarum, Exod. 14. v. 5. & similium.

Corporis fuga.

Sic rursus alia fuga illorum est, qui malæ conscientiæ stimulo agitati, ubi tutò conquiescant non reperiunt, sicq; ad latebras & alia diverticula confugiunt, cujusmodi fuga erat Caini, Genes. 4. v. 14. itemq; præsens Jonæ.

Fuga animi.

Sed nec illa fugæ species prætereunda est, cum quis corpore præsens animo quàm maximè aufugit, cujus fugæ, quæ animo fit, meminit Augustinus in enarratione Psalm. 141. Tom. 8. super verba versiculi 5. (perijt fuga à me) ubi sic loquitur; ab illo perijt fuga, qui non fugit; qui autem non fugit, patitur quicquid potest pro Christo, id est, non fugit animo

mo; nam corpore fugere licet, concessum est, permissum est, Domino dicente: Si vos persecuti fuerint, in una civitate, fugite in aliam; *ita* Augustinus.

At verò de hisce fugæ modis in præsentia non sumus solliciti, cum partim ad sceleratos; partim verò ad quosvis etiam homines pertinere possint; Illud saltem hoc in loco aperiemus; in quantum ministro Ecclesiæ exoriente persecutione (*quæ propemodùm individuus militantis vel particularis vel universalis Ecclesiæ comes est*) fugiendum, vel ecõtrà adversus persecutorum machinationes persistendum sit: *De qua quæstione si ad priora sæcula respiciamus, non unam vetustissimorum quorumcunq; hac de re sententiam fuisse constat.*

Donatistæ studio hypocritici Martyrii fugam omnem improbarunt.

Donatistæ, *ut martyrum saltem nomen quanquam falso, sortirentur, ne unquam quidem fugam licitam esse, delirarunt, ideoque semetipsos ad varia internecionis genera haud rarò obtulerunt; Contra quos hunc in modum alicubi scribit* Augustinus: Fugam præcipit, quem

quem vocatis salvatorem, fugam permittit persecutor. Quid ergò sequimini, ut vestris ignibus pereatis, nisi vestrum furorem? & tamen dicis; an non est ista persecutio quæ tot millia innocentium arctavit ad mortem? ostendite quomodo arctemini ad mortem, quibus fuga & divinitùs jubetur, & humanitùs relaxatur, *lib. 2. contra secundam* Gaudentij Donatistarum Episcopi *Epistolam, Tom. 7. fol. 438. edit. Lugdunens.*

Cent. Magd. 3. pag. 71.

Tertullianus *quoq;* Donatistis *multò antiquior, quippè quẽ circa annum Christi ducentesimum nonum vixisse constat, aliquantò quàm oportebat duriùs de fuga scripsit in libro ad* Fabium, *itidem concludens, nullatenus fugiendum, sed quemvis fortunæ telam, persecutionum tempore strenuè perferendam esse: lib. de fuga, tom. 5. pag. 508. edit. Franick.*

D. Athanasius *posteà, cùm* Arianorum *persecutiones, tàm astu & fraude, quàm vi publica captas, sentiret, ipseq; justis de causis in fugam sese conjiceret, hoc nomine à* Leontio Antiocheno, Narcysso

cyſſo Neronipolitano & Georgio Laodicenſi, *Arianæ hæreſeos propagatoribus, acerbiſſimè traductus fuit; quinimò prædicti hæretici ipſius* Athanaſij *confeſſionem ſub nomine timiditatis, quam aliquoties ſanctiſſimo Patri obijciebant, ſuſpectam reddere conati ſunt. Qua calumnia motus* Athanaſius, *apologiam quandam, quâ fugæ ſuæ rationes aperiret, eamq; ſufficienter excuſaret, adornare cõactus eſt, quæ adhuc inter opera* Athanaſij *tom. 2. edit. Baſil. extat.*

Athanaſius aliquam fugam defendit.

Cæterum ſi accuratius ſacras literas ſcrutemur, & veſtigijs prædicti Athanaſij *inſiſtamus, tum procul dubio illud luculenter apparebit, fugam ſicuti nec omni tempore licita eſt, quippè nonnunquam Eccleſiæ ædificationi obfutura, ità eandem quoq; ſine omni limitatione illicitam arguere, oraculis ſacris minimè conſentaneum eſſe. Sicut enim in omni miniſterij noſtri opere,* Sive edamus, ſive bibamus, ſive quid aliud faciamus, illud unicè ad gloriam DEI & Eccleſiæ ædificationem, *Apoſtolo teſte 1. Cor. 10. verſ. 31. Cap. 14. verſ. 12. & 26. dirigendum eſt;*

Omnis fuga in ſacris literis non eſt prohibita.

Fugæ bonitas unde æſtimanda.

ità hi duo fines in fuga Ministri Ecclesiæ maximoperè perpendendi veniunt. Deinde etjam cum fuga ad persecutionem sese habeat, tanquàm quæ dicuntur πρός τι, ex hujus quoq; conditione fugæ bonitas æstimari poterit.

Persecutiones quædam sunt generales.

Jam itaq; ut proprius ad rem accedamus, constat, persecutionum omnium, non eandem esse formam: quædam namq; ita sunt conditionatæ, ut exitium totius quærant Ecclesiæ, & puram verbi divini prædicationem unà cum Sacramentorum legitimâ distributione prorsus intervertant: quod certè, ubi fieri videmus, tùm à ministro Ecclesiæ, fuga tàm debet esse aliena, quam alioquin studiosè Mercenarij nomen effugere velit; Tunc namq; (quam actionum Christiani hominis limam diximus) Ecclesiæ ædificationem & Dei Opt. Max. gloriam impediri, in propatulo est. Atq; ibi valet Christi regula, qua adversus persecutorum impetus suos ministros animat, dicens: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animã & corpus detrudere in gehennam. Matt. 10. v. 28.

Lon-

Longè verò alia est ratio illarum persecutionum, quæ non totius Ecclesiæ quærunt incommodum; sed unius tantum atq; alterius præclari Doctoris in Ecclesia jugulum petunt; ubi certè secundum filum Spiritus sancti *concessum est, fugâ declinare periculum, idq; itidem ex præscripto* Salvatoris, *sic loquentis* Matth. 10. v. 23. Si persecuti vos fuerint de civitate una, fugite in aliam. *Nec audiendus est hoc loco* Tertullianus, *excipiens; præceptum hoc de fuga fuisse temporale, usque dum Evangelij sonus repleret urbes* Judææ, *postea verò hoc ipsum abrogatum fuisse; cujus assertiones hanc, quanquam valdè ficulneam, affert rationem:* Alia *inquit*, duo præcepta ejusdem capitis, qualia sunt (In viam gentium ne abieritis; & in civitates Samaritanorum ne ingrediamini) in Novo Testamento antiquata sunt: Ergò & hoc, quod de fugâ ex Capitul. 10. Matthæi affertur ulterius ferendũ non est. *Hanc exceptionem, ut infringam, respondeo. 1. in Majore nullam esse consequentiã, nec quicquam*

Persecutiones speciales quæ.

Tertullianus, quomodo præceptum Christi de fugâ eludat.

Responsio ad instantiam Tertulliani.

valere, ita nudè à conditione hujus particulæ ad illationem alterius, eodem capite comprehensæ, concludere; nisi prius communem quandam utriusq; conditionem esse eviceris. 2. Liceret in contrarium & mihi concludere; plurima, in hoc 1. Capite contenta, (puta gratis accepistis, *scilicet prædicationem Evangelij*, gratis date; qui recipit vos, me recipit &c.) *in novo Testamento abrogata non sunt; Ergò nec illud desuga. 3. Quod duo illa præcepta attinet, à* Tertulliano *prolata, ea* Christus *ipse deinde Matth. 28. vers. 19. & Marc. 16. vers. 15. removet: hoc verò de fuga sine* Christo Tertullianus. 4. Paulus *etjam, cujus tempore*, Evangelium jam fructificaverat in universo mundi, *Colos. 1. (ut ità hæc conditio* Tertulliani, *quàm præcepto de fuga cohærere vult, magis elidatur) fuga sibi consuluit, quando per murum in sportula à fratribus Damascenis dimissus est, Actor. 9. vers. 25. 2. Corinth. 11. vers 32. Stat itaq; pro fugæ in persecutione personali licentia dictum à Christo allatum*, si persecuti vos fuerint in una civitate &c.

Huic dicto postmodum addantur ex-

empla biblica; Iacobi Patriarchæ, *persecutionem Esavi fugientis*, *Gen. 29.* Eliæ *1. Reg. 19.* Christi *ipsius*, *qui aliquoties hostium suorum manus effugit*, *Luc. 4. Iohan. 8. & 10. quiq; adhuc puer existens jubetur cum* Ioseph *fugere in* Aegyptum; Athanasij *& aliorum. Et verissima manet hoc in loco* B. Athanasij *sententia.* Vtilis & non infructuosa est populis fuga sanctorum, etiamsi id Arianis non videatur; quapropter sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem, ut medici, in usus indigentiũ reservabantur. Reliquis autem, & in universum omnibus, ea lex proposita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese, dum quæruntur, neque præcipites temerarijq; sint in tentando Domino, sed expectent, aut judex ille aliquid de ijs, quod sibi rectum videatur, constituerit; sed tamen nos semper paratos esse voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia usq; ad mortem dimicemus. *Hactenus Athanasius. In Apologia de fuga.*

Exempla fugæ licitæ in sacris literis occurrunt.

Videbimus autem tribus duntaxat ver-

Refutatio argumentorum Tertulliani contra fugam.

bis, quibusnam argumentis Tertullianus *pro sua pugnet sententia, & cujus illa sint roboris.*

Primum illud est: Bonum non est fugiendum. At persecutio est bona. Ergò persecutio non est fugienda. *Minorem multis confirmat rationibus, quarum illa potissima est quod asserit: Persecutionem à Deo esse, & ad gloriam Dei ampliandam pertinere;* Quando, *inquit*, Deus magis creditur, nisi cum magis timetur? nisi in tempore persecutionis. Ecclesia in attonito est, tunc & fides in expeditione sollicitior & disciplinatior in jejunijs & stationibus & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia & dilectione, in sanctitate & sobrietate.

Verum ad allati Argumenti minorem propositionem, ut & omnes ferè ratiunculas illam corroborantes, ineſſe illi παραλογισμὸν *κατὰ τὶ respondeo. Concurrunt enim in persecutione duo actus probè discernendi; Primus est persequentis hostilis & furiosus impetus, interitum ejus, quem persequitur, unicè spectans; alter verò est malitiæ hujus seu* ἀταξίας *ad optimum & Deo gra-*

In fuga est boni & mali quid diverso respectu.

gratißimum ordinem reductio, qui eſt fidei probatio, & conſequenter gloria Dei, Priori modo perſecutionem bonam dicere communibus fidei Chriſtianæ notionibus repugnat. Poſterius verò, ſeu gloria Dei, tum magis dilatatur, cum in perſonali perſecutione fugâ nobis, tanquàm divinitus oblato medio, conſulimus, & de providentia Dei magis magisq; certiores reddimur.

II. *Alterum* Tertulliani *argumentum ità habet:* Si DEO volente immittitur perſecutio, non eſt fugienda. At verum prius. Ergò & poſterius. *Reſpondeo ex data diſtinctione itidem hanc quoque argumentationem diſſolvi. Quod namque ἀταξίων tyrannorum, in perſecutionibus maximè conſpicuam, attinet, illam quidem ità non vult DEus, ut etjam graviſſimè vetet apud Pſalten* tangere unctos ſuos, *Pſalm 104. verſ. 13. Et eſt ex genere illorum, quæ quidem non rectè dicitur velle DEus aut approbare; ſed potius permittere, ſicut omnia peccata & malas actiones, quas* ſe odiſſe Zachariæ 8. *teſtatur, permittit. Quod vero poſtmodum boni aliquid ex malis hujuſmodi*

Deus etjam è malis bonum elicit.

actionibus emergit, non fit hoc ipsum actionum pravarum beneficio: sed per accidens tantùm, Dei omnipotentis prudentia, qui usque adeó omnipotens & bonus est, ut possit etjam benefacere de malo, *sicut perpulchrè* Augustinus *loquitur in Enchiridio ad Laurentium Cap. 11.*

III. *III. Quod tandem* Tertullianus *dicit:* Pulchriorem esse militem in pugna prælio amissum, quàm in fuga salvum; *ad id meritò regerimus; non, quod ex Regulis Ethicis, ubi de fortitudine secundum rationis placitum disseritur, pulchrum videtur; sed quod verbo Dei est consentaneum, & fidei analogum, id in casibus hujusmodi Theologicis unice sectandum: Turpe siquidem est, transcendere ad aliud genus, nosq; si ex principio verbi revelati* Aristoteli *quicquam præscriberemus, ut meritò rideremur, sic ille vicissim eadem in re simili jure fruatur.*

IIII. *IV. Tandèm etjam fortè ex dicto* Christi *Matth. 10. non invenustè quis ità inferat:* Si non metuendum est ab his, qui occidunt corpus, tum quoq; minus fugiendum est. At non est timendum ab his

his &c. Ergò *Respondeo ad majorem distinguendo inter timorem licitum seu honestum, & illicitum. Quod si jam posterior timoris species in dicta propositione intelligitur, quippe, quæ periculum voluntarium amet, quod sacræ literæ severissimè prohibent, nullam prorsus major habet consequentiam. Sin verò major loquatur de timore licito, qui audaciæ, qua quis periculum amat, opponitur, tum certè minorem extemplò negamus, freti præsidio oraculi sacri;* quicunque amat periculum, peribit in eo. *Ecclesiastilc. 3. v. 27.*

Atq; hæc de Fuga, *quæq; eam vel generalis vel personalis persecutio causat, dicta sunto.*

V. Testimonium nobis offertur horribilis cœcitatis, qua Gentiles undiq; à vero DEO aberrantes circumfusi fuerunt; Quilibet, *inquit Ionas,* Clamavit ad Deum suum. *Licet enim* Deus sine testimonio se inter creaturas non reliquerit, *Act. 14. vers. 17. sed ipsa etjam mundi creatio & mirabilis ordo, in dispositione universi adhibitus, Deo præclarum testimonium perhibuerit: in tantùm tamen à tramite*

Gentilium circa agnitionem vori Dei summa fuit cœcitas.

cognitionis veri Dei gentes deviarunt, ut ne quidem verum DEum glorificaverint; sed & insuper gloriam incorruptibilis Dei mutaverint, in similitudinē corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum & reptilium. *Rom. 1. v. 23.* servierintq; ijs, qui naturâ non sunt Dij, *Gal. 4. v. 8* *Sic Mäobitæ coluerunt idolum* Baäl, *Num. 22. v. 40* *cui vel excelsa extruxerunt* *Jerem. 19. v. 5.* *vel in tectis ædium divino honore illud affecerunt*, *Jerem. 42. 3. Reg. 18.* Itemquè Baalpëor, *Num. 25. v. 3.* Chemos, *Num. 21. v. 29.* *Jerem. 48. v. 13.* In Syria *idolum* Rimmon *Dei loco habitum fuit*, *4. Reg. 5. v. 18.* In Assyria Nisroch *Esa. 37. v. 38.* *Et totum ferè Deorum gentilium veteris Testamenti coägulum solitâ diligentiâ describit* Chemnitius *in quarta parte Examinis Concilij Tridentini*, *Disputat. de Imagin. fol. 17. quò Lectorem meritò remittimus.*

Varia Idolorum à Gentilibus cultorum genera.

In novo Testamento quamvis nobis per filium novissime DEus locutus fuerit, *Heb. 1.* *& jam multis clarior lux agnitioni veri Dei scriptis Apostolorum accensa sit: multi tamē etjam eorum ad quos vox Ev-*

angelij pervenit, relicta veritate ad erroneārum opinionum voraginē æstu Diaboli se demergi passi sunt: siquidē adeò fertilis fuit impietas in constituenda Deorum fictitiorum multitudine, ut D. Augustino ex Varrone annotante triginta millia Deorū uno seculo orbis terrarū coluerit; quinimò, Eusebio & Tertulliano testibus, Senat. Roman. penes se jus illud esse voluit, ut pro Deo coleretur, quem ipse hoc nomine & honore dignū judicasset. Tertullianus in Apolog. Euseb. lib. 2. Histor. Eccles. cap. 2. Et lectu jucundissimæ sunt Firmiani Lactantij, lib. 1. de falsa religione, Arnobij lib. 7. disputat. adversus gentes; aliorumq; contra gentilium Deorū multitudinem disputationes, ex quibus, quanta istorum temporū fuit cæcitas, abundè apparet. Sic namq; Arnobius refert pro Dijs fuisse habitos Lateranum, Perficam, Pertundā, Mutunum, Putam, Petam, Nemestrinū, Patellanam, quos Deos, Deasq;, quomodo Arnobius eâ, quâ valet Tullianâ eloquentiâ, confundat, lib. 4. Disputationum adversus gentes, cum primis videre est.

Senatus Romanus jus ἀποθεώσεως sibi arrogavit.

Ad hanc errantium Nautarum classem merito

Pontificij loco unius veri Dei ad varios auxiliatores confugiunt.

meritò etiam referri debent Pontificij, *qui in necessitatibus non ad unum illum* Deum Jonæ *confugiunt*, qui fecit mare & aridam: *sed tot opitulatores effingunt, certis difficultatibus destinatos, ut vix tenuissima gloriæ aut honoris particula uni vero Deo maneat reliqua.*

Totum Psalterium à Regio Propheta *unius Dei laudibus decantandis dicatum, ad* Mariam *convertunt*; *Angelos & Archangelos in necessitatibus invocant, ut constat ex cantilena hac missificibus papalibus usitatissima:*

Omnes superni ordines
Mille milleni millies
Vestros audite supplices.

Et rursus:

Nunc vos cœlestes Domini;
Et principes prævalidi;
Potentiaq; præditi;
Estote nobis placidi.

Quinimò hic sanctorum in Papatu aëri, ille aquæ, alius item igni præest; hic hujus, ille alterius personæ patronus & defensor eligitur; hoc est revera non ad unum Deum confugere, & illum solum, *uti ex Mose*

Mose Christus loquitur, Matth. 4. invocare, *sed* πολυθείαν *introducere, ad suum, quẽ sibi quisq; finxit Deum clamare. Cæterum quomodo hanc suam deliram sententiam* Jesuvvitastri *moderni pallient, in capite secundo latius videbimus. Nos moniti caligine & miseria præsentium nautarum Deo pro luce suæ agnitionis gratias agamus, & veritati semel agnitæ constanter adhæreamus.*

VI. De Sortilegijs *quid sit tenendum, occasione sumpta à sorte nautarum, dicendum est.*

Sortes autem, quod initiò observandum est, non sunt omnes unius generis; quædam n. sunt licitæ etiamnũ hodie: quædam contrà illcitæ & divinis ac humanis legibus prohibitæ, & sunt tres potissimum Sortilegiorum in universum species.

Sortilegij species diversæ.

Prima eas sortes continet, quas divinitus directas esse, causam successus hominibus ignorantibus, legimus; cujusmodi fuit illa, quâ de Iosuæ 7. legimus, quæ furtum Achani *luci exposuit, itemq; qua* Matthias *in* δωδεκάδα ἱερὰν, *ut* S. Nilus Episcopus Thessalonicenses *de chorum Apostolorum*

I. Sortilegium divinitus rectum

lorum loquitur, receptus fuit; quo pertinet illud Salomonis sortis proijciuntur in sinum, à Domino autem omne exit judicium, *Proverb. 16. v. 23. Atq; ad hanc speciem sortis eam, quæ à nautis præsentibus jacta est, meritò referimus, idq; fortassis hinc non omninò incommodè, quod constat* Ionam, *Prophetico spiritu clarum, ei interfuisse, & procul dubio in sortis missionẽ confuisse. De hac Sortilegij specie* Gregorius: Qui sortes, *inquit*, mittunt per visibilium rerum conjecturas latentia sæpè deprehendunt. Sic nimirum Ionas noscitur; sic Matthias Apostolus apostolicâ celsitudine dignus judicatur. Sortes ergò spirituales ponimus, quando per exteriora signa operũ ad occultorum noticiam pervenimus, *lib. 5. Expositi. moralis in 1. Reg. cap. 14.* Et Origenes: ubi ex fide integra & oratione præmissa sors ducitur, ea, quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto. *Hom. 23. in Cap. 18. Josuæ.* Augustinus *super verba Psalmi 30. (Dixi tu es DEus meus, in manibus tuis* Sortes meæ) Sors, *inquit*, non aliquid mali

mali est: sed res in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.

Vt autem sanctorum facta heroica sæpius sunt supra regulam, ità à nobis, quandò expresso Dei verbo destituimur, in exemplum trahi non debent, ne DEum tentemus & curiositatis illicitæ titulo insigniamur

Sortilegijs temerè non utendum.

Altera Sortilegij vel sortis species politica est, hodiè adhuc usitata, & multis contentionibus & litigijs forensibus dirimendis conducens, præsertim si ἀνευδόλου administretur. Quò non incommodè retulerimus terræ sanctæ inter Israëlitas factam partitionem, quæ tota à sorte pendebat, sicuti, Num. 34. v. 2. Ios. 13. 14. 15. & sequentibus capitibus videre licet. Verùm in hujusmodi Sortilegijs illud probè observandum est, vt instituantur de rebus, arbitrio nostro subditis, legumquè nitantur authoritate, & sortientium consensu, quo sese ad parendum eventui sortis suâ sponte obligent.

2. Sortilegium civile seu politicum.

Tertia denique Sortis species divinatoria est, quæ ea, quæ nobis alioquin ignota sunt,

3. Sortilegium superstitiosum.

sunt, non quidem ex certis vel verbo Dei contentis, vel naturæ ingenitis principijs, scrutatur: sed vanarum conjecturarũ prætextu, vel per characteres variè dispositos, vel per talos ad certam formam jactos, vel alio quopiam modo, quicquam certi eliccre, & futura divinare præsumit.

Occasio Sortilegij superstitiosi.

Cum enim videret Satan, Hominem sua sorte non contentum, gestire futura prænoscere, & in Dei arcana penetrare; hac Sortilegij via hominũ animos sibi demulcendos ac devinciendos esse putavit, se tùm majorem applausum consecuturum ratus si aliqua spe consequendæ divinitatis (cujus solius est futura certò prænoscere) mortalium mentes lactaret. Et hæc quidem Sortilegia expressis scripturæ verbis severissimè sunt prohibita, quæ latiùs Deut. 18. v. 10. & 11. Esa. 8. vers. 19. & lijs in locis legi possunt.

VII. Sistitur nobis in Iona ob oculos malæ Conscientiæ lucidissimum speculum, eò quod legimus Ionam non tantùm navim conscendisse, ut faciem Dei effugeret: sed & insuper in interiori navis parte semet abscondisse, posteà quoq; ubi sorte convictus

ctus fuerat, sibijpsi mortis sententiam tulisse, dicendo: tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.

Vt autem, quid nomine Conscientiæ *veniat, dilucidius explicetur, sciendum est* conscientiam esse quiddam in intellectu, omnia benè vel malè facta annotans, deq; ijs pro ut quorumlibet est conditio, suam ἐπίκρισιν & censuram ferens: *Ex qua rudiore descriptione perspicimus, duo potissimùm* Conscientiæ *esse munia, quorum prius est:* Scire, *aut quasi memori libello consignatus tenere cujuscunq; vel cogitationes, vel actiones proprias, qua de causa* Chrisostomus *in Enarrat. Psal. 50.* Conscientiam *nominat* codicem, in quo quotidiana peccata adscribuntur.

Conscientia quid sit

Duplex conscientiæ officium. 1.

Cæterùm in hac nudâ scientia Conscientia nequaquã acquiescit, sed συνείδησις *seu conscientia, quasi unà cum alijs quippiã sciens, nominatur: Estq; inter Scientem & Conscium hoc discriminis, ut* sciens secum tantùm res gestas cognoscat, conscius cum altero, *ut* Nonius *de verborum differentijs loquitur.* Hugo de S. Victore, *lib. 2. de anima, cap. 12.* Conscientia, *in*

Sciens & Conscius quid differant.

quit, est cordis scientia; cor enim & se novit sua scientia, & multa alia: quandò novit se, appellatur scientia, quando præter se alia, nominatur conscientia. *Scit igitur homo cum Deo, qui omnia coram intuetur, & coram quo nihil omninò absconditum est, cum Diabolo verò vel etjam Angelis bonus minus propriè conscire dicitur, quippe, quorum respectu eatenus Conscientia sese tantùm exerit, quatenus hominis voluntas in externas & visibiles actiones prorumpit, cùm Deus contrà, qui est scrutator cordis & rerum, tenuissimas etjam cogitationes cujuslibet hominis plenissimè cognoscat atq; perspiciat.*

II. *Alterum* Conscientiæ *munus est* cogitata vel facta propria dijudicare, *bona sint, nec ne; quò respicit* Apostolus Paulus, *quandò* Conscientiam *gentilium* Legi cordibus ipsorum inscriptæ, testimonium perhibuisse *asserit, eò* quòd cogitationes in conscientia *(puta vel in benefactis, vel etjam in malefactis)* semet accusaverint, aut etjam excusaverint, *Rom. 2. vers. 15. Atque ex hoc secundo Conscientiæ actu posteà oritur vel Confi-*

dentia

dentia, quandò videlicet Justus Leoni *confidenti aßimulatur, Proverb. 25. v. 1. quâ item fretus* Apostolus, *imperterrito vultu pronunciare potest:* Gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet conscientiæ nostræ, quod cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo, *2. Corinth. 1. vers. 12. quod* secura mens jugi convivio aßimilatur *Prov. 15. v. 15. Vel etjam* Desperatio, *cum malarum actionum recordatione ità terrentur homines, vt nullo fugante fugiant, nullam consolationem penitus admittant, sed se ipsos temporali & æternæ morti volentes scientes adjudicent. Cujusmodi sunt exempla* Cäini, Achitophelis, Judæ, Spiræ *& aliorum.*

Conscientia parit 1. Confidentiam.

2. Desperationem.

VIII. Sedula inquisitio Nautarum invitam, originem, & facta Ionæ, *insignis prudentiæ & dilectionis erga proximum exemplum est, tale scilicet, quo nos Christianos, qui sæpiusculè proximo non homines, sed lupi sumus, longißimè antecellunt: neque enim nautæ isti, magna ex parte gentilium superstitioni procul*

Exemplã dilectionis proximi in nautis.

dubio adhuc dediti, Ionam *inaudita causa condemnant, multò minus verò furioso impetu abrepti convitijs mille & diris imprecationibus notatum in abyssum maris precipitant: sed potius omnibus salutiferis medijs arreptis, ubi spei nihil erat reliquum, eidem benedicunt, & se nihil æquè invito animo facere, quàm hoc, quod Propheta ipsis eijciendus erat, insigni oratione valedictoria comprobant.* Demirari dignum est, *inquit super hunc locum* Theophylactus, nauticorum hominum mansuetos & mites adeò mores. Neq; enim insurrexerunt in ipsum, neq; dixerunt: O sceleste & omniù sceleratissime, propter te peribimus; sed ipsum judicem faciunt, ut pronunciet, quid secum faciendum sit. Sive ergò anteà dementes adeò extiterint & æquabiles, digni sunt, quos æmulemur; sive pavore ad mansuetudinem translati sunt, vel sic etiam imitandi sunt; ubi sæpenumerò nos in calamitates incidentes planè efferamur, nedum adversum calamitatum authores solos, verùm etiam contra ipsos familiarissimos nostros in calamitatibus consolato-

Theophylact. in comment. super Ionam.

latores. *Ita Theophylactus. Atq; hoc est, quod* Apostolus Paulus *Rom. 2. inquit,* gentes etiam, quæ legem non habuerunt, naturaliter τὰ τοῦ νόμου *seu quandam particulam legis* fecisse. *Dictabant namque scintillulæ legis in corrupta natura etiam adhuc reliquæ, sanguinem innocentem non esse profundendum, & ingenitum hoc est cuilibet, amare non verò odisse propagationem, immò & conservationem speciei suæ: quod considerantes, etsi vel parum vel nihil etiam aliqui eorum ex concione Ionæ de agnitione Dei salutari retinuerant, temerè Ionæ manus injiciendas non esse, colligere ipsis difficile non erat. Huc referri possunt similiter heroica reliquorũ gentilium facinora,* Alexandri Magni continentia, Aristidis justitia, Socratis patientia &c. *Nos Christianos, qui incorruptili semine verbi Dei regenerati sumus, pudeat, quod à gentilibus in hujusmodi virtutum exercitio haud rarò superemur, ac proinde relictis atq; abjectis veteris hominis exuvijs, induamus novũ hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, & mutua atq; reci-*

proca dilectione, quod Christi discipuli simus, probemus.

Deus est liberrimũ agens.

IX. Docemur etiam precibus nautarum præsentium, DEum esse liberrimum agens, & fato stoico *haudquaquam teneri, id quod evincit partim subitanea fluctuum, mediante vento vehementiori, facta concitatio, partim verba ista formulæ orationis manifestè inserta, quæ sic habent:* Tu Domine sicut voluisti, fecisti. *Sicut namquè olim* Epicuræi *docebant, omnia fieri fortuitò, nec posse dari causas rerum fixas, adeoquè fortunæ, quæ fiebant, adscribenda existimabant, quam hoc nomine ut Deam venerabantur, sicuti apud Poëtam est:* Te facimus Fortuna Deam, *cæloquè locamus; Jtà contrà* Stoici *tàm arctam secundarum causarum inter se & primam causam,* DEUM *nimirum,* concatenationem *fingebant, ut ne ipsum DEUM quidem aliter, quàm pro nutu causarum secundarum agere posse assererent: quæ certè opinio-*

Juvenalis.

nes

nes multis modis sunt vanissimæ. Nec valet quicquam ratio, quam hi ex ordine & serie causarum mutuabantur, existimantes illum penitus sublatum iri, si aliter agat causa prima, quàm reliquæ inferiores; quæ tùm demum alicujus erit ponderis, ubi DEum vel suprà naturam nihil; vel etjam alio, quàm causæ secundæ intendunt, modo, quicquam facere non posse, persvadere poterunt; quod quidem sacrarum literarum monumenta, Solis stationem, ejusq; motum retro gradum Josuæ 10. vers. 13. itemquè ignem non urentem, Daniel. 3. vers. 23. corpus grave sursum tendens, Exod. 12. vers. 22. & alia hujusmodi supra naturæ cursum exempla continentia, longè aliter nos edocent.

Stoicorum pro fatali necessitate asserenda ratio.

Illud saltem hoc in loco observatu dignum est, quod Stoicis *hac in causa,* Sacramentarij *nihilo meliores censendi sunt, quandò nimirum docent:* DEUM infinita sua omnipotentia efficere non posse, ut corpus unum

Sacramentarij in definienda omnipotentia Dei à Stoicis nihil differunt.

sit in pluribus, quàm uno loco; *quod, quæso, quid est aliud, quàm asserere: DEum cum omni sua potentia ultrà, quàm leges physicæ* corpus quantum *circumscribunt atq; determinant, agere non posse, à qua* Stoico-Calviniana *blasphemia ità quidem nautæ hi abhorrent, ut ex concitata tempestate, subitò supra naturæ cursum subortâ, omnipotentiam Dei liberè & sine impedimento causarum secundarum operantem ultrò agnoscant; Qui certè si humanã Christi naturam in unitatem personæ τοῦ λόγου assumptã credidissent (quod quidem se credere Calviniani egregio verborum lenocinio usi deblaterant) longè aliter de filij Dei carne ἀξιώματα verè divinis dubio procul locuti fuissent. Sed de hoc, ut & alijs* Stoico-Calvinianis *paradoxis alibi latius disseremus.*

Conversatio cum pijs instituta, est utilis.

X. *Quàm utilis ac frugifera sit ea, quæ cum bonis viris & Deum timentibus instituitur conversatio, suo nobis nautæ præsentes exemplo ostendunt. Qui enim anteà immersi erant cœno superstitionum, & clamabant* quilibet, *ut Textus habet,* ad DEum *suum, illi jam partim ex miraculo-*

raculosa, & quæ cœlitus mota erat tempestate; partim verò ex consortio Jonæ, ut & confessione ejusdem, antequàm è navi in mare præcipitaretur, editâ, discunt primò, non timere deinceps Deos suos ante hac viri Dei loco cultos; sed Dominum, & hunc quidem, ut verba Prophetæ sonant, timore magno. Deinde hostias immolant, non Idolis, sed Deo Israëlitico, cujus manu potenti miraculum præsens editum, sequè conservatos sentiebãt; ac tandem vota solemnia vovent. Quod si cum suis similibus, puta Ethnicis, aut alijs, nondum ad pœnitentiam perductis, iter fecisse.nt, citius, quàm hujusmodi fructus ipsis sperandus fuisset, in impietate sua confirmati ac deteriores redditi essent. Sic Evnuchus Reginæ Candacis, conversatione Philippi ad veram salutis viam & scripturæ intellectum adducitur, Actor. 8. Discipuli Emaunta tendentes aggregatione Christi, passionis, mortis, & resurrectionis Domini verum sensum percipiunt, &c. Quod considerans sapientia cœlestis, satis operosè passim dissuadet pravorum hominum sodalitia & conversationem. Qui tetigerit pi-

cem, *inquit* Syracides *Cap. 13. vers. 1.* inquinabitur ab ea. Regius Psaltes *Psal. 1. vers. 1.* beatum illum nominat, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra irrisorum non sedit. Fili, *inquit* Salomon *Proverbiorum 1. vers. 11. & sequentibus;* Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis; si dixerint; veni nobiscum, insidiemus sanguini &c. ne ambules cum eis. Prohibe pedem tuum à semitis eorum. *Et quidem consortia prava tàm esse pernitiosa* Apostolus *innuit, vt etjam* Colloquijs pravis bonos mores corrumpi *ex* Menandro *pronunciet 1. Corinth. 15. vers. 33. Quod ponderantes*, cum sancta conversatio confundat inimicum, ædificet proximum, & glorificet DEum, *vt* Isidorus *lib. 2. Soliloquiorum author est; nos quoque ex præscripto* Salomonis *Proverb. 13. v. 20.* cum sapientibus gradiamur, ut sapientes simus, ne amici stultorum illis similes efficiamur.

XI. Nautas nostros vota Deo vovisse legimus: Paucula igitur de votis hoc loco annotabimus. Initiè

Nominis VOTI usus.

Initiò nomen ipsum non unius omninò significationis est; quandoque enim denotat hujusmodi animi motum, quo nos vel religiosi quicquam deinceps facturos, vel irreligiosi intermissuros, additis certis limitibus & circumstantijs, astringimus. Alias quoq; significat optionem quandam, qua ea, quæ non sunt, esse precamur, vel si quid nobis desit, precibus postulamus, nec non alicui gratulamur. Ad quæ significata vox, per quam Græci votum exprimunt, propius accedit. εὐχὴ *namq; significat tam congratulationem propter bona præsentia, quam absentium optionem, immò & futurorum stipulationem.*

Votorum alia ratio in Novo, quàm Veteri Testamento.

Est autem votorum consideratio in N. Testamento longè quàm in veteri alia; tunc siquidem pars erant cultus divinitùs mandati, quæ ad legem utiq; ceremonialem referenda erant, sicuti de Votis *varijs, & eorum redemptionibus integrum propemodùm caput 72.* Levitici *legi potest. Et hæc quidem vota pro statu istius Ecclesiæ non erant libera, sed necessariò, tanquam formula certa DEum colendi, observanda.*

In

In Novo Testamento longè aliter sese res habet, ubi nimirum Lex Ceremonialis tanquam typus & umbra rerum futurarum penitus est sublata, secundum illud Pauli Colos. 2. Nemo vos judicet in cibo aut in potu, quæ sunt umbra rerum futurarum: *Unde non omninò incommodè illos judicare animadvertimus, qui, quæcunq; de votis è scripturis haberi possunt, ea omnia ex veteri Testamento accipienda esse existimant.*

Nec obstat quicquam, quod Paulum voto Nazareorum, *cujus Num. 6. v. 12. fit mentio, sese astrinxisse legimus, Act. 18 v. 19. ; itemq; quod Prophetas videmus sæpissimè, ubi de statu Ecclesiæ Novi Testamenti loquuntur, votorum mentionem injicere, cum illud factum sciamus in gratiam Judæorum, qui Evangelio fidem dederant, aut de quibus jam aliqua spes conversionis Apostolo affulgebat, Iis enim, non verò in libertatem in regno Christi jam redactis, (ut veterem Synagogam, sicuti patres loquuntur, honestè & sine Judæorum offendiculo sepeliret) Apostolus factus fuit tanquam Judæus, quò Judæos lucrifaceret; sicuti*

ſicuti ipſe factum hoc ſuum interpretatur, 1. Corinth. 9. v. 20. Prophetarum verò vaticinia, ut, Eſa. 52. v. 11. Ezech. 44. v. 20. quod attinet, loquuntur illi ſuo more, vt quibus familiare eſt, res Novi Teſtamenti per verba veteris proferre.

Quodſi tamen Papiſtæ Phariſaizantes hic nondum acquieſcant, & certa quædam novi Teſtamenti vota à nobis efflagitent, vt erga dictos homines liberales ſimus, eiſdem omnimodam legis moralis exactionem offerimus, in cujus prima tabula intuentes fiduciam erga Deum, in ſecunda verò proximi dilectionem, tantum materiæ (vt docendi cauſa ſic loquamur) votivæ ipſis procul dubio occurret, in qua ſe ſatis ſuperq; exercere poterunt. Huc reſpicit etjam B. Lutherus *in Cap. 28. Gen. Tom. 6. quando diſtinguit* inter vota Ceremonialia & moralia, *quorum illa viciſſim dicit eſſe duplicia, & unum nominat* votum fidei erga DEum, *alterum verò* Charitatis, *quæ tamen in ſuas ſpecies ulterius etjam dividi poſſent, etſi non adeò propriè aliqua illarũ voti nomine quale hic intelligitur, veniant.*

Vota alia Ceremonialia alia moralia.

Debent

Conditiones Votorum.

Debent tamen in omnibus votis certæ quædam conditiones, quibus tanquam limitibus circumscribantur, annotari, quales sunt; Prima: Ne is, qui votum facit, alterius potestate jure detineatur, quæ legitimo voto satisfieri impediat, cujusmodi illa sunt, quando liberi, qui nondum sui juris sunt, clandestina sponsalia ineunt, & voto ad subsecuturas nuptias, immò juramento sese astringunt, quod ne unquam quidem Deo placuisse ex Cap. 30. vers. 6.

I.

II. Numer. *satis apparet. Secunda; Ne voto ea contineãtur, quæ verbo Dei, aut publicæ honestati sunt contraria, quale censeri fortè possit votum* Iephtæ, *filiam suam sub conditione victoriæ aut immolationi, aut, quod verisimile magis est, virginitati perpetuæ addicentis; quorum illud expressis scripturæ dictis repugnat: hoc verò citra virginis, donum continentiæ prius explorantis, spontaneum consensum fieri nullatenus debuisset. Tertia: Ea etjam debet esse votorum materia, quam exsolvere queamus, ne montes aureos pollicentes vix plũbeos exsolvamus, & instar Nautæ istius Erasmiani (in naufragio) ne sebaceam candelam*

III.

delam pro cerea substituamus; qui fucus quantoperè Deo & hominibus futurus sit odiosus, nemo non perspicit.

Ex his conditionibus propè ponderatis, quid de votis Monasticis seu Iesuvviticis, qualia describuntur apud Bellarm. lib. 2. de Monac. c 20. & Hasenmul. c. 6. tenendum sit, cuilibet judicare in promptu est.

Votum Iesuvviticum primum, quod paupertatis dicitur.

Primum n. quo suo se ordini astringunt Votum est Paupertatis, quã jubent omnes diligere tanquã matrem, ità ut parati sint ad mendicandũ ostiatim, quando obedientia vel necessitas id exegerit; porrò etjam victum, vestitum & lecti formam habeant pauperib. accommodatissimã, sicuti Regula constitutionum Iesuvviticarum, 24. & 25. Lugduni Anno 1606. edita verbotenus sonat.

At verò primum, quod in hoc voto meritò reprehendimus, illud est, quod sine verbo Dei, immò cum contumelia & contemptu ejusdem paupertatem hanc spontaneam Iesuvvitas vovere novimus. Scimus namque divitas in sese esse perquàm bonas, & donum Dei, ex testimonijs Spiritus sancti Prov. 10. v. 22. Psal. 112. v. 3.

Divitiæ in & per se bonæ sunt.

Quin

Quin & viros religiosissimos Abrahamum, Lothum, Iobum *& alios opulentos fuisse, testimonio sacrarum literarum compertum habemus, vt ita eas ex sua natura malas arguere, atq; respuere, nihil aliud sit, quàm Creaturæ Dei, per se optimæ, velle maculam ignominiosam sceleratissimè, inurere.*

Sed & alterum hujus voti vitium priori longè est turpius, hypocrisis *scilicet. Jamdudum enim toti orbi Christiano satis superq; innotuit*, Jesuvvitas *vovendo paupertatem nihilminus quàm pauperes esse, & quos rectissime* pauperes *sine defectu nominaverimus, quippè qui jam non amplius septenario aut sexagenario numero contenti, omnes penè mundi angulos hominibus* Societatis Lojolitanæ *addictis complent, ac totos propemodùm Ducatus atq; provincias irreligioso paupertatis prætextu, non exiguo verò status Politici decremento, ad se pertrahunt, uti hoc ipsum cumprimis ex motibus Polonicis, iisq; Venetianis nuper excitatis, ijs, qui horum noticiam habent, constat.*

Votum Iesuiticum

Secundum Votum Monasticum est obedien-

dientia. *Qualisnam verò ea, & annè hujusmodi, quæ Deum suo honore & debita obedientia non spoliat; itemq; magistratũ Christianum tanquàm utriusq; Tabulæ Decalogi custodem agnoscit, rectaq; rationis honestum vel turpe commonstrãtis usum admittit? minimè verò, cum* constitutio Jesuvvitica 36. *expresse velit, eum,* qui sub obedientia vivit, se ferri atq; regi à divina providentia per superiores suos finere debere, perinde ac si cadaver esset, quod quoquo versus ferri ac tractari se finit, vel similiter atque senis baculus, qui ubicunq; & quacunq; in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit. *Quem usum quousq; Jesuvvitici ordinis Rectores extendant, ex insignioribus aliquot horum hominum sceleribus, interfectione* Principis Auraici, *itemq; insidijs* Regi Galliarum, *necnon etjam* Angliæ Regi *atq;* Reginæ *structis, hisq; similibus, quæ omnibus ferè mundi incolis nota sunt, quivis cognoscere poterit. Nos hanc cœcam obedientiam, tanquam boni ordinis & magistratus hostem, ad extremos* Garamantas *meritò relegamus; scientes eam, quæ*

secundum quod dicitur obedientiæ.

NB.

in ordinibus sacris est, ὑποταγὴν *ità conformatam esse debere*, *ne* potestatibus sublimioribus *obedientiam præstare recuset, atque ità ordinationi DEI resistendo sibi damnationem acquirat*, *Romanorum 13. vers. 3.*

Votum Iesuvvitarum tertium, quod dicitur Castitatis.

Vltimum vitæ Monasticæ votum dicitur perpetuæ conscientiæ, *quo nimirum, ordini nomen suum professuri, vitam conjugalem abjurare, & cœlibatui per totum vitæ curriculum strenuè servando sese addicere coguntur, idquè contra vocem divinitus editam*: Non est bonum hominem esse solum &c. *Gen. 2. v. 18.* Væ soli, quiâ cùm ceciderit, non habet sublevantem se, *Ecclesiastes Cap. 4. versic. 10. Item*: Melius est nubere quàm uri, *1. Corinth. 7. versic. 9. Quibus testimonijs longè evidentissimis postpositis odio vitæ conjugalis & voto illegitimo continentiæ perpetuæ Jesuvvitæ occœcati eosque efferuntur, vt* tolerabilius, immò minus grave peccatum esse judicent (*Cõstero asserente Cap. 17. de cœlibatu Sacerdotal. propositi. 9.*) si Sacerdos fornicetur, aut domi concubinam

nam foveat, quàm si secundum ordinationem divinitus institutam legitimè matrimonium ineat. *Id quaeso quid est aliud, quam Paulo asserenti; melius esse nubere, quàm uri, sese opponere, & legitimo fornicationis remedio, cujus evitandæ gratia Apostolus quemvis suam uxorem habere jubet, scortationis vitium longè turpissimum anteferre.* At verò hisce Monasticis votis nequitiæ illectamentis omnes Christifideles *meritò valedicunt, & votis labiorum DEO sacrificantes, ne unquam quidem Legis exactioni se satisfecisse, multò minus verò votis hujusmodi verbo DEI non præscriptis cœlum promereri posse agnoscunt.*

PARS TERTIA
CAPITIS PRIMI.

Electo Jonâ *in profundum maris, ratio humana aliud dictitare non potuit, quàm actum jam esse de vita, dignitate, omnibusquè rebus,* JONÆ *incolumitatem spectantibus; & verisimile est, nautas antehac, ut audivimus,*

commiseratione erga Prophetam motos, aliquoties illi non sine gemitu & condolentia valedixisse: Sed DEus, cujus cogitationes non sunt nostræ cogitationes, & cujus viæ à nostris longissimo intervallo distant, *Esa. 55. v. 8. mirabili compendio miserum Prophetam sustentat, ità ut terræ etjam, elapso aliquot dierum spatio, salvus atq; incolumis restitutus sit.* Præparavit namque, *inquit Propheta*, Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. *In quibus verbis tria potißimum notatu dignißima occurrunt.*

v. 17. juxta scriptionem Hebræam.

1. *Primum est, quod piscis & quidem magni* Ionam *deglutientis fit mentio. Hebræus Textus ita habet* (Vaiemad Jehova dag gadol) præparavit JEHOVAH piscem magnum, *ubi certè ex voce* dag (*quæ piscem in genere significat, sicuti Psalm. 8. & alibi apparet*) *certa species, ad quam hic piscis magnus referendus sit, plenè colligi non potest.*

Cujus speciei fuerit piscis iste magnus,

Septuaginta Interpretes *aliquantò clarius loquuntur hoc modo:* προσέταξεν κυ-

ρι-

καὶ κῆτει μεγάλῳ, imperavit Dominus ceto grandi, *quam vocem aliquantò specialiorem suo sermone* Christus *Matth. 12. confirmat, ubi itidem dicit,* Ionam *fuisse* ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, in ventre ceti tribus diebus ac tribus noctibus. qui Ionam deglutivit.

Illud ergò constat, cetum fuisse magnum hunc piscem Ionæ *hospitem; sed cum hi quoq; non unius omninò sint generis nondum quiescit curiositas ingeniorum, sed ulterius interrogando progreditur, ad quam classem seu speciem cetorum hic, de quo agimus, referendus sit? Atq; hic sufficit ad externum saltem fidei assensum Historiæ præsenti contra* Iulianum *& cæteros* ἐμπείκλους *conciliandum, scire cùm ex verbo Dei, tùm etiam profanis historijs, esse balænas & pisces tantæ magnitudinis, qui non tantùm hominem deglutire; sed longè majora opera efficere possint, sicuti certè* Leviathan *Job. 41. itemq; varia Balænarum immanium genera à Philologis & Historiæ naturalis indagatoribus satis graphicè depinguntur. Videatur hac de re* Philosophus *lib. 4. de partibus Animal. cap. 13. ubi non tantùm Delphinorum, Balæna-* Causa cur speciem piscis instituatur inquisitio.

Authores Ichthiographici.

rum & Cetorum meminit; sed etjam Balænas spirantes & fistulam in fronte ad egerendos haustos humores & capiendum cibum, gerentes *introducit*. Guilhelmus Rondelitius *libris octodecim de piscibus marinis*. Sebastianus Münsterus *lib. 4. Cosmographiæ de regnis septentrionalibus fol. 851.* Conradus Gesnerus *lib. 4. historiæ animalium*.

Si quis morosiùs instet, illi nos, ultrà quàm quod scriptum est, sapere nobis non licere, 1. Corinth. 4. vers. 6. & ex qua specie cetorum præsens oriundus fuerit, citra salutis dispendium docta ignorantia *ignorare nos posse meritò respondemus.*

II. *Alterum, circa prædicta verba non immeritò notandum, illud est, undénam piscis hic advenerit; ad quod quæsitum* Porpheta *regerit*, Jehovam eundé præ-
Vers. 17. paratse, *additâ causâ finali, ut nimirum* Jonam *semetipsum fluctuũ intemperici & morti temporali ex propriæ conscientiæ dictamine adjudicantem*, deglutiret.

Hic rursus quærunt aliqui, fueritne præsens hic Piscis jam antè progenitus, & tunc demàm

demùm illi usui à DEO destinatus, vt nimirum rictu oris Ionam exciperet, & ad interiora corporis sui longè vastissimi demitteret; an contrà in momento ejectionis Ionæ è navi à DEO & factus, & operi præsenti expediendo adhibitus sit? Posterior sententia etsi quidem in nullum fidei articulum impingit, hoc nomine tamen priori videtur intolerabilior, quod primò nihil fundamenti loco affert, præterquàm infinitam DEI omnipotentiam, quâ facilè potuerit hujusmodi quid efficere, vt piscis ingentis magnitudinis, anteà in rerum natura non existens, prosilierit, & ad devorandum Prophetam operam suam obtulerit.

Balæna Ionam excipiens quando primùm extiterit.

Sed quid opus est existentibus medijs ad illud negotium idoneis, piscibus putà satis magnis (uti paulò antè monstravimus) ad DEI omnipotentiam, qua mediante longè etjam majora fieri posse non negamus, confugere; & an non æquè omnipotentiæ divinæ indicium est hamo quasi injecto immanẽ balænã in mari vasto crudeliter sævientẽ ità regere, vt in aquã demersũ Prophetã protinus excipiat, & ad

nutum Dei creatoris omnia agat, id quod humana potentia fieri posse nemo asseveraverit.

Præterea favet huic expositioni septuaginta Interpretum versio, quæ ità habet: προσέταξεν κύριος κήτει, ordinavit seu præcepit ceto, *non autem de novo creavit. Et rectè hoc loco dicit* Haymo *ex* Hieronymo: Præparavit, *id est*, juxta navem fecit venire, ut in suos sinus præcipitem Ionam susciperet, *Quod an in continenti post ejectionem è navi, an verò post aliquod demùm temporis intervallum factum sit, scire, plus videtur habere curiositatis, quàm Theologicæ scientiæ atq; eruditionis: Qua de causa labore isto, qui huic quæstioni excutiendæ impendendus erat, meritò hoc loco supersedemus.*

III. Ionas quamdiù fuerit in ventre ceti.

Tertium est de tempore, quamdiu in hoc hospitio satis sordido, in ventre videlicet piscis, Prophetæ commoratus fuerit, ad quod ipse respondet hoc modo: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus, *quos dies omnium, quotquot unquam fuerunt, longissimos, opinione quidem absorpti* Ionæ, *fuisse, nemini dubium esse potest.* Modò

Modò enim adventante aquæ hausiu uberiori (quales sæpius rictu immani balænam ingurgitasse credibile est) Prophetam terrore insigni affectum fuisse conijcimus; rursus ubi aliorum piscium multitudine se stipatum, & sordibus undiq; circumvallatum conspexit, quid aliud concludere miser hic homo potuit, quam jam jam horam mortis imminere, & de se supplicium sumi. Non illi aurora solis radios advexit; vespera quietem denegavit. Quid multis? hic Ionas *omnium mortalium fuit miserrimus, qui nec mori potuit, Deo ipsum miraculosè sustentante, nec vitam sibi vel ad horæ momentum in tot concurrentium periculorum voragine polliceri.*

Exaggeratio miseriæ, quam Ionas in ventre piscis pertulit

An verò hi tres dies & tres noctes absolutè, an verò per Synedochen accipi debebant, in dubium vocari posset. Quod si enim hoc tempus cum illo, quod in sepulchro Salvator insumsit, tanquàm typum cum antitypo exactè congruere statuamus, tùm certè apparet Synecdochen, Ebræis usitatissimam, qua potiorem rei aut numeri partem pro integro ponunt, hoc in versi-

culo locum habere, siquidem de Salvatore, cujus figura hoc in loco Ionas est, constat, quod sub Paraſceves veſperam corpus ejus ſepultum fuerit, atque in ſepulchro nocte illa cum ſequenti die ſabbati, & nocte dominicum diem præcedente jacuerit, tandemquè mane prima Sabbati ſeu primo poſt Sabbatum reſurrexerit, quod tempus ſi colligas, non tres quidem perfecti dies; ſed initia tamen trium dierum exinde ſecundùm Judæorum conſvetudinem, qui diem à veſpera auſpicabantur, prodeunt, ità vt veſpera Paraſceves primi, veſpera Sabbati ſecundi, diluculum diei Dominici, tertij diei initium conſtituat.

Cum autem in typis ſit aliquo ſaltem modo & non in omnibus perpetuò partibus eos antitypis reſpondere, nihil etjam vetat, etjamſi hoc loco tres integros dies & noctes totidem ſenſu ſimplici ac literali intelligamus. οὐ γὰρ ἀνάγκη (inquit Damaſcenus lib. 3 Orthod. fid. Cap. 26.) πάντελῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἐοικέναι τὰ παραδείγματα, ἀνάγκη δὲ ἐν τοῖς παραδείγμασι καὶ τὸ ὅμοιον θεωρεῖσθαι, καὶ τὸ παρειλλαγμένον.

LOCI

LOCI COMMUNES.

1. JONÆ *calamitas insigne documentum est iræ divinæ adversus peccata hominum. Neque enim satis erat justitiæ DEI infinitæ* Ionam *immissâ mari tempestate terrere & conscientiæ crudelissimos stimulos mirum in modum Prophetam excruciantes excitare, nisi & hoc etjam accederet, vt in profundum maris omni humana ope destitutus miser demergeretur. Hujusmodi immensæ & flagrantissimæ iræ divinæ adversus scelera hominum exempla sunt universalis cataclysmi in orbem terrarum immissio, omnia viventia, exceptis ijs, quæ arcam ingressa erant, submergens, Genes. 7. & 8.* Sodomæ, Gomorrhæ, *& reliquarum civitatum in confinio sitarum eversio, Genes. 19.* Core, Datan & Abiram, *qui vivi à terra devorati sunt, pœna, Num. 16. vers. 32. Vrbis* Ierosolymæ *devastatio, & similia; quæ exempla verissimum esse ostendunt, quod David ait Psal. 76. v. 8.* Tu terribilis es, & qui resistet tibi à tempore iræ tuæ? *In ijs autem pœnis, quibus sanctos divina majestas exercet, quorum etjam numero*

Quæ ex pœnis fidelium collectio facienda infidelibus.

numero Prophetæ hujus afflictio accensenda venit, illud potissimũ filijs hujus mundi & hostibus regni Christi spectandum est, ut secundum illud collectionem à majori ad minus instituant, cogitantes: Si judicium à domo Dei incipiat, qui tum de ijs futurum sit, qui Evangelio non obtemperant, *1. Pet. 4. v. 17. Nos moniti atrocitate vindictæ divinæ adversus scelera, pœnitentiam agamus, & Deo cum timore in sanctitate ac justitia serviamus.*

Castigationes sanctorum temperantur Dei misericordia.

II. In castigationibus hujusmodi, quibus sancti ex imbecillitate carnis lapsi corripiuntur, ex miraculosa Prophetæ conservatione notanda est perpetuò Dei concurrens providentia plusquàm paterna, qui misericordi temperamento ità novit moderari iræ suæ exercitia, ut in medijs turbis præsentissimum remedium inveniat, & suos mirabiliter conservet; Id quod multis exemplis ad oculum demonstrare difficile non esset. Atq; hoc est, in quo regius Propheta tantoperè glorintur, quod Deus nobiscum sit in tribulatione, nosque eripiat, *Psal. 91. v. 15. Ita quod nominatur* adjutor in oportunitatibus, *Psal. 9. v. 10.*

Indi-

Indignatur Deus, *inquit* Chrysostomus *alicubi*, peccatis nostris: sed non obliviscitur pietatis: Minatur supplicium; sed non permittit excidium: Moderatur vindictam, revocat severitatem &c. *Quod, quoties in periculis gravioribus versamur, insignis consolationis loco nobis erit, & tum demùm ad hanc* Ionæ *miraculosam sustentationem retrospicere non parùm juvabit, cogitantes eum, qui Prophetæ in ventre piscis præsto fuit, nos itidem liberare, nec velle Deum gravius onus humeris nostris, quam perferre valeamus, imponere, 1. Cor. 10. v. 13.*

III. Porrò gubernatio piscis hujus permagni omnipotentiæ Dei solidum indicium est. Cui enim monstro domando ne ullus quidem mortalium, quamvis potentissimus, satis fuisset, hunc omnipotens Deus ità gubernat, ut ad quævis ministeria sese offerre, & cumprimis Jonam incolumem conservare cogatur. Opponamus hoc ipsum nos, qui in Ecclesia sumus, variis Diaboli & mundi machinationibus, adeò quidem validis, ut ad exaggerationem imminentis periculi assurgens Apostolus *Ephes. 6. v. 12.*

Obsequiũ Balænæ de omnipotentia Dei testatur.

v. 12. nobis non adversus carnem & sanguinem colluctationé esse, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, *pronunciet. Vtut n. magna sit hostium Ecclesiæ authoritas, potentia valida, astutia insignis; tanti tamen roboris Dei est omnipotentia, vt, si velit, vel nutu etiam universum mundũ subvertere, & τὰ ὑπέρτερα νέρτερα, secundum* Aristophanæum *illud, possit τιθέναι. Proinde huic Deo in necessitatib. unice confidentes exclamemus cum* Psalte regio *Psal. 121. v. 2.* Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram, *qui gubernat immanissima maris monstra, qui denique Jonam contra spem in spem erexit, & in ventre piscis inter medios fluctus mirabiliter conservavit. Huic confidens olim* David, Goliathum *prostravit, 1. Sam. 17. v. 50. & 51.* Abraham Kedorlaomor *Regem divicit, Gen. 14. v. 15.* Constantinus Magnus Maxentiũ *superavit, qui cum de veri Dei auxilio sollicitus esset, & idolorũ opem vanam esse aliorum exemplis agnovisset, tandem circa meridiem sanctæ crucis signum cum hac inscriptione* (in hoc signo vin-

ces) conſpexit, atq; ex eo tempore omnipotentiæ Dei crucifixi inſiſtens, & Maxentium debellavit, & Roman. Remp. jugo tyranni hactenus preſſam, libertati reſtituit, vtq; ſuam erga Deum verum gratitudinẽ declararet, Romæ poſtmodũ in loco celebri, & multum à populo frequentato, ſanctæ crucis ſignum cum hac inſcriptione erexit. Hoc ſalutari ſigno, vero fortitudinis indicio, civitatem veſtram tyrannidis jugo liberavi, & Senatum, populumq; Romanum in libertatẽ vindicans, priſtinæ amplitudini & ſplendori reſtitui. *Euſeb. lib. 1. de vita Conſtantini, cap. 22. & 32.*

IV. Typus hic, quod Ionas in ventre piſcis tribus diebus & totidẽ noctibus fuiſſe ſcribitur, cum antitypo ſuo, Chriſto videlicet triduum in ſepulchro delitescente, conveniens, non leve pro majeſtate & certitudine ſcripturæ ſacræ evincenda argumẽtum eſt. Illa n. non tantum omnis doctrinæ partes ſolido conſenſu & perpetua harmania tradit, ut ne ullibi quidẽ vera diſſonantia in integro volumine biblico proferri poſſit: ſed & inſuper Prophetici & Apoſtolici chori tam ſuavis cõcentus ubiq; reperitur, & cum-

Scripturæ authoritas ex concentu veteris & Novi Teſtamenti æſtimari poteſt.

cumprimis in concordante illo mutuoq; veteris & N. Testamenti respectu cernitur, vt quæ Patres sub veteri populo, per figurarum umbras & visiones propheticas eminus aspexerunt, hæc eadem in plenitudine temporis impleta & eventu illustrata esse, Novi Testamenti scriptores elegantißima consensione testatum faciant: Quæ collatio utriusq; fœderis, & in utroq; existentium typorum & antityporum mutuus nexus, omnium item doctrinæ capitum, articulorumq; fidei catena, Deum scripturæ authorem esse, & ex hujus veluti manibus Libros biblicos cœlitus ad nos demissos luculentißimè evincit. Atq; ex hoc argumentò à scripturæ perpetuo concentu petito suorum etjam vaticiniorum veritatem Propheta Amos Cap. 3. vers. 3. probat: Nunquid, inquiens, ambulant duo pariter, nisi convenerit eis, idem scilicet dicturus, hinc cæcos Judæos debere de vaticinijs allatis judicium facere, quod scilicet contemporaneos Prophetas, Hoseam, Micheam, & reliquos videant easdem pœnas denunciare, & in reprehendẽda Judæorũ impietate eandem omninò viam ingredi.

Hun. in argumento 4. de majestate scripturæ.

ENAR-

ERARRATIO CAPITIS SECUNDI.

Argumentum seu περιοχὴ & partitio.

NON injuria cogitet aliquis, quid in triduano isto hospitio, ventre piscis, egerit Propheta; sederitne, an jacuerit, & quibus se cogitationibus macerarit, quæ omnia mira brevitate capite hoc secundo ipsemet complexus est, in quo, quod & quid oraverit, quomodoq; tandem jussu Dei ex captivitate liberatus, & ad terram delatus fuerit, exponit.

Possunt autem Capitis hujus partes constitui tres, ità ut prima pars versu primo absolvatur, qui in genere refert Jonam oraſſe ad Dominum Deum suum. Partes Capitis secundi tres.

Secunda pars speciem & verba precationis, in necessitate usus fuerat, refert, seq; ad ultimum usq; versiculum extendit.

Tertia denique, cujus ope à pisce exierit, & ad terram appulerit, versu 11. & postremo exponit.

PARAPHRASIS PARTIS PRIMAE.

Verè dicitur, ibi demum incipere in necessitatibus divinum auxilium, ubi desit humanum, *id quod animadvertens captivus* Jonas, *ubi in nullo mortalium aliquid opis sibi superesse sensit, ad verum DEum ardentissimis precibus sese convertit.* Orasse *enim dicitur* Ionas ad Deum suum in pisce; *ubi notetur:*

vers. 2. juxta vulgatam.

I. *Primò orans, qui est Propheta à Deo antehac Niniven ad prædicandum missus, sed vocationi divinæ non obtemperans, ideòq; justa sorte è navi, ad quam à facie Domini fugerat, in profundum maris demersus & utero Ceti inclusus.*

II. *Secundò ad quem oraverit, ad DEum, quem Hebræus Textus nominat (* Iehova Elohim *)* Dominum DEum. *Cum enim vox* Elohim *non rarò etjam Creaturis attribuatur, ideoq; ut ab omni superstitione & cultu idolatrico præsens oratio vindicetur, adjicitur vox* Jehovah *seu* Domini, *cui in N. Testamento perpetuò ferè nomen κύριος respondet. Estq; hoc nomen* Jehovah *Dei proprium & essentiale, quo ipse vult*

Cur dicatur Ionas non ad Deum tantùm, sed ad Dominum Deum orasse.

Iehovah nomen Dei essentiale.

vult vocari, uti Exod. 6. v. 3. & Esa. 42. v. 8. palàm ostendit; quodq; nulli unquam Creaturæ communicatur. Hoc enim, *inquit in loco modò citato*, est nomen meũ, gloriam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

Tertiò, observandus etiam venit modus seu forma orationis: Non enim oravit Propheta animo fluctuante & vacillante, sed oravit cum confidentia, & ut Iacobus cap. 1. v. 6. loquitur, ἐν πίστει μηδὲν διακρινόμενος: *quod ex duobus vocabulis apertè cognoscitur; primò quandò dicitur* oravit, *quo loco Hebræus habet* Vait pallel *à radice* Pillel, *quod significat* confidenter interpellare, *& quasi in justa causa ad superiorem judicem Advocati instar appellare, seu intercedere; quo sensu habetur 1. Reg. 8. v. 28. Ierem. 7. v. 16. &c. Secundò, quod non simpliciter dicitur clamasse ad Dominum Deũ, sed ad (*Iehova Eloha mimmenei*)* ad Dominum DEum suum; *quæ vox certè nota est fiduciæ singularis. Diaboli namq; & illi Deum norunt, & credunt fide historica; sed* Deum suum *eundẽ nominare non possunt, quod filiorum saltem Dei proprium est.* 3.

LOCI COMMUNES.

Crux piorum est res longè utilissima.

I. Utilem *ac fructuosam esse crucem & afflictionem piorum ad excitanda novæ vitæ exercitia, præsenti exemplo addiscimus. Cum enim mortales plerumq; securitati nimirum sint addicti, & tempore felici parùm cogitent de Deo, immò cùm ipsi etjam fideles nisi commonitorijs subinde renovatis in officio retineantur, æruginem quandoq; attrahant, & segnius officia pietatis administrent, hinc fit, vt à Deo novis subinde correctionibus exerceantur, & de retinenda fide ac bona conscientia commonefiant. Sic* Iacob *approperante* Esau *seriò recordatur beneficiorum, sibi à Deo antehac concessorum, & promissionum tibi divinitus exhibitarum;* DEus, *inquit,* Patris mei Abraham, & DEus *Patris mei* Isaac, Domine qui dixisti mihi; Revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi; Minor sum cunctis miserationibus tuis & veritate tua, quam expleviſti servo tuo &c. erue me de manu fratris mei Esar, quià eum valdè timeo, ne fortè veniat, & percutiat matrem cum filijs, *Gen. 32. v. 9. 10. & 11.*

& 11. *Sic* Moſes Pharaone *Rege* Aegypti Iſraëlitas *inſequente longè, quam alias, ardentiùs orat. Exod. 14. v. 15.* David *Angelo percuſſore manum ſuam ſuper Ieruſalẽ extendente, ad peccatorum pleniorem agnitionem & ardentiſſimam culpæ deprecationem excuſcitatur; quò reliqua etiam hujus generis exempla referenda ſunt.* 2. Sam. 24 verſ. 10.

Proinde calamitates filijs Dei impoſitæ eo loco, quo pertinaciter peccantium pœnæ, minimè habendæ ſunt. Illæ enim immittuntur à Deo irato & peccatorum juſtiſſimo vindice; hæ à Deo placato, & ſuorum liberorum vigilantiſſimo cuſtode: Illæ ab hoſte; hæ à patre: illæ, vt impios perdant atq; exterminent; hæ contrà, vt filios Dei à deſidia & ſocordia in curſu pietatis alacres conſervent: oportet, *habet ſermone de fide & lege naturæ* Chryſoſtomus, omninò, juſtum & injuſtum, pium & impium affligi; ſed magna utrobiq; eſt varietas. Aliud enim eſt corripi ut domeſticum; aliud flagellari ut alienum. *Agnoſcit illud quoq; Apoſtolus & tribulationes usq; adeò juſtificatis moleſtas non eſſe refert*, ut glorientur hi ipſi etiam in

τιμωρίας & δοκιμασίας diſcrimen.

tribulatione; Tribulatio namq;, *inquit*, patientiã operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autẽ non confundit, *Rom. 5. v. 3. & 4. Et* David, prodeſſe ſibi *pronunciat*, quod à Domino caſtigetur & humilietur, *cum exoptatus ille finis exinde promanet, quod nimirùm ità exagitatus* diſcat juſtificationes Domini *Pſal. 119. v. 71. Abſit igitur, ut murmuremus ſub cruce; ſed potius boni ominis loco, ſi quicquam adverſi nobis accidat, acceptemus, & in hac vita paternam caſtigationẽ æquo animo feramus, ut in futura de ſubſequentibus blandimentis eo magis gaudeamus.*

II. Veræ & religioſæ adorationis naturam ex oratione Prophetæ luculenter cognoſcere poterimus: De qua ut in gratiam Ieſuvvitarum & Calvinianorum *paulò fuſius agamus, Primò de Orationũ ſeu precum* varijs ſpeciebus; *Deindè de* vero *Orationis* objecto; *Deniq; de* forma & modo *orandi, ſeu legitimum orationis objectũ compellandi ſequentibus diſpiciemus.*

Precum naturam indagare, res maximi momenti eſt.

Et initiò quidem, quæ in veram religioſæ adorationis naturam ſcrupuloſius inſtituitur inquiſitio, inter inutiles & otioſas

quæstiones, quas summo studio Apostolus vitandas judicat, numerari minimè potest, cum tantum monenti in vera adoratione situm sit, ut ea nubem penetrare & cæli repagula effringere, DEumq; flectere possit: quinimò ardens precatio opus est Spiritus sancti, siquidem nos nescimus, quid oremus, sicut oportet, *Rom. 8. v. 26. nisi Spiritus sanctus adjuvet infirmitatem nostram, qui exinde* Spiritus gratiæ & precum *nuncupatur, Zach. 12. v. 10. eò quod per eum Apostolo referente* clamare possumus, Abba Pater, *Ro. 8. v. 15. Et adeo usq; invaluit propudiosa* Iesuviticæ *gentis idolomanica &* Calvinianorũ χειρομαχία, *ut per Christi ad dexterã Dei sedentis honorem, quem sartum tectum cupimus, quin huic negotio explicando diutius immoremur, facere non possimus.*

Sicuti autem vox honoris aut cultus, cujus pars sunt piæ preces variè accipitur, ita quoque oratio seu adoratio diversimodè accipi potest: ita nimirum, ut quandoq; civiliter, aliàs verò religiosè & de exercitio pietatis Deũ unicè concernente intelligatur. De priori hic non agimus;

Advocatio alia civilis alia religiosa.

posterioris, religiosæ videlicet adorationis, variæ sunt species, quas distinctis etiam nominibus scriptura profert: Aliàs enim petimus mali aversionem; alias boni accessionem; quandoq; pro acceptis jam antè beneficijs gratias agimus, Deumq; laudamus; nonnunquam etjam pro alio adhuc in vivis existente oramus: quos orationum modos inter sese differre, nemo non videt. Rectè proinde monet Apostolus 1. Timoth. 2. vers. 1. fieri debere δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, innuens scilicet, non eodem perpetuò modo, vel de causa eadem orationes instituì, sed varia religiosæ adorationis esse genera: quod alibi idem Apostolus clarius adhuc profert, quandò petitiones nostras in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione vult Deo offerri. Philip. 4. vers. 6.

Illud verò hoc in loco observandum venit, quod voces hæ haud rarò in sacris literis promiscuè usurpentur, & inter se permutentur, quo ipsa tamen precum diversitas inviolata manet.

Distant autem preces religiosæ ab invicem, non quod aliæ aliud objectum respiciant, & vel ad sanctos, vel ad angelos,

vel Deum ipsum, & modò quidem ad DEum Patrem, modò ad Filium, nec non ad Spiritum sanctum devolvantur. Priores enim, Angelos putà & sanctos hoc cultu prosequendos non esse mox monstrabimus: Trinitatis verò Personæ etsi realissimè quidem inter sese differant, tamen quià omnium personarum simplicissimè una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, uti in Symbolo suo Athanasius loquitur, hinc fit, ut invocando Patrem, Filium non excludas, & supplicando Filio utrius q; simul Spiritum subinnuas.

Verùm in eo preces rectiùs differre dicuntur, quod omnium in universum non eadem est materia, nec uno semper modo cujuslibet orantis animus se habet, ut ità preces aliæ sint de bonis temporalibus; aliæ de Spiritualibus & æternis; nonnullæ vehementiores; aliquæ remissiores; quædam publicæ; quædam privatæ: quarum omnium exempla penu biblicum copiosissimè suppeditat. Vera specierum religiosæ adorationis differentia

De objecto verò religiosæ adorationis, seu quisnam hoc honore sit afficiendus, maxima est hodie in Ecclesia digladiatio. De objecto circa quod varij errores.

Ethnicos quidem servisse τῇ κλίσει παρὰ τὸν κλίσαντα Apostolus, *Rom. 1. v. 25. testis est, quorum impietatem, & cultus veri Dei abjectionem, cujus loco, ex ejusdem Apostoli testimonio* πέτεινὰ ἑρπετὰ, *habuerunt, quià superius aliquantulum attigimus, parte nimirum 2. cap. 1. loc. 5. ea hoc loco rursus recensere meritò supervacaneum judicamus.*

Rom. 2. vers. 23.

Eorum verò, qui non tantùm in Ecclesia vivunt, sed etjam se veram Ecclesiam seu de Ecclesia esse gloriantur, circa verum religiosæ adorationis objectum error est periculosissimus & minimè tolerandus; quorum alij illud, quod adorari ex præscripto verbi Dei fas non est, adorandum censent, immò adorant: alij verò hocipsum, quod adorationis cultu prosequendum scriptura offert, hoc honore spoliant, & infinitis convitijs proscindunt. Priori loco adulatores, & mancipia illa Romani Antichristi Iesuitæ, *posteriori* Calvinianæ *hæreseos sectatores habendi sunt.*

De invocatione sanctorum contra Pontificios.

De illis ut primùm videamus, egregiè observarunt & ad usum transferre norunt illud Comici: Si fecisti, nega, *ideoq;* πρό-

μαχος

μαχ& Iesuvvitarum Bellarminus mendacium esse clamitat, quod Catholici (quo specioso nomine se & complices suos intelligit) sanctis hac in parte divinitatē tribuant, quippè cum nullus Catholicorum dixerit unquam, eos cognoscere preces nostras, ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in Deo, quem vident, & qui eas ipsis ostendit. *lib. 1. de beatitud. sanct. cap. 16. Brevi autem, si paucula tantùm ad hanc rem præparatoria præmiserimus, nos ipsum Jesuvvitam cum omnibus pseudocatholicis mentiri evincemus, & si non eadem verba, sensum tamen æquipollentem ex ipsorum Pontificiorum, & hujus ipsius Cardinalis scriptis bona fide eruemus.*

Iesuvvitæ negant, se sanctos Deo loco invocare.

Initiò igitur tenendum est, Pontificios pro favore dogmati præsenti conciliando, religiosum cultum seu adorationem ita distinguere, ut inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν *insigne discrimen esse dictitent.*

Pontificij discrimen faciunt inter latriā. duliam & hyperduliam.

Pistorius *in hodogetico cap. 6. dicit,* invocare seu adorare tàm Deo, quàm hominibus in sacra scriptura tribui, λατρεύειν verò solum DEum concernere.

Simi-

Similiter Eccius *in Enchirid. cap. 15. fol. 144.* sancti, *inquit*, ut amici Dei sunt implorandi, ut pro nobis intercedant, & licet sancti non sunt adorandi latriâ, quiâ soli Deo debetur, tamen venerandi sunt duliâ: *Et paulò post dicit*; sanctos colendos esse, quamvis dispari cultu à Deo, qui latriâ colendus est, sicut Maria hyperduliâ, & sancti duliâ, quæ extensè adoratio etjam dicatur.

Eodem modo Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de sanct. beatitud. cap. 12. diversam gloriam, seu cultum religiosum à Dei cultu sanctis tribuit*, propter dona naturalia & excellentissima, quem cultum duliam nominat; & quia, *inquit*, inter sanctas creaturas, humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad verbum, & similiter B. Virgo, ut mater Filij Dei ita præstat alijs sanctis, ut dici possit Domina & Regina nostra, quod alijs sanctis non convenit, nisi admodum imperfectè; ideò Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam propriè dictam, & hyperduliam, tribuentes illam

illam sanctis cœteris, istam soli humanitati Christi & Matri ejus. *Similia vide apud* Franciscum Cõsterum *in Enchirid. controversiarum cap. 14. propos. 5.*

*Deinde, ne hæ diversæ religionis adorationis species usu destituantur, hypothesin hanc, satis subdolè efficta*m Jesuvvita Bellarminus *ex* Thoma *nobis obtrudere satagit;* tot nimirum species esse adorationis, sive cultus, quot sint species excellentiæ: *de quibus Pontificiæ doctrinæ hoc in loco apicibus jam nostra sententia aperienda est.*

Primum autem illud, quod in vocum differentia adversarij quærunt latibulum, valde est mendosum, cum scriptura hanc, quam Pontificij afferunt, vocum δουλείας & λατρείας *strictam observationem non agnoscat, quæ cultum Deo delatum per* τὸ δουλεύειν *et jam non rarò describit, quomodò habetur Actor. 20. vers. 9. ubi Apostolus dicit, quod fuerit* δουλεύων κυρίῳ, serviens Domino cum omni humilitate & lachrymis: *Matth. 6. v. 24. ubi Christus asserit* nos non posse θεῷ δουλεύειν Deo servire & Mammonæ. *Et ità porrò vox hæc de cultu di-*

δουλεύειν scripturæ sæpius idẽ est quod λατρεύειν.

tu divino usurpatur, Rom. 7. v. 6. Rom. 14. v. 18. Colos. 3. v. 24. &c.

τὸ λατρέυειν non semper de vero Dei cultu accipitur

Porrò τὸ λατρέυειν etsi quidem perpetuò ferè de cultu & honore divino accipitur, constat tamen ipsam etiam idololatriam & fictitiorum Deorum cultum non semel latriæ nomine venire, vt ità in neutro harum vocum usu sat tutum sit præsidium. Sic Paulus Rom. 1. versic. 25. dicit gentes ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει, & Act. 7. v. 42. Stephanus dicit Deum tradidisse Iudæos λατρέυειν militiæ cœli, &c.

Nulla Creatura per se sine mandato Dei est religiosè adoranda.

Alterum de varijs Excellentijs, & ex earum varietate exurgentibus cultus speciebus, itidem in cerebro Iesuvitico solummodò est natum. Nos enim ne ullam quidem excellentiam per se sine divino mandato pro adorationis religiosæ objecto habendam esse citrà tergiversationem asserimus; quod tam inter nos verum est, vt etiam DEus omnipotens, omnium excellentißimus, non aliter à nobis colendus credatur, quàm ipse se in verbo suo revelavit, verbum autem, quod pro sanctorum hoc cultu, & adoratione excellentiarum variarum religiosâ Cardinalis offerat, nullum est: quod videns Eccius, sanctorũ invo-

cationem in sacris literis explicitè non esse præceptam; *Et paulò post*; Apostolum expresis scripturis venerationem sanctorum docere noluisse *ingenuè confitetur. In Enchirid. cap. 15.*

Eccius fatetur, invocationem sanctorum scripturâ destitui.

Sed habet tamen suâ quidem opinione aliquod pro cultu hujusmodi verbum & mandatum Robertus. Nam cum inter septem honores, quibus post canonizationem sanctos afficiendos judicat, secundus is sit, quod in publicis Ecclesiæ precibus invocentur, eodē modo sanctos canonizare, ut à tota Ecclesia sancti habeantur & invocētur ex communi sentētia dicit pertinere ad summum Pontificem, *lib. 1. de sanct. beatit. c. 7. idq; ex ea ratione*, nam ad eū, *inquit*, spectat proponere toti Ecclesiæ, quid sit credendū, & quid agendū in ijs quæ sunt religionis, qui toti Ecclesiæ præest. *cap. 8.*

Quis a. nostrum unquā sibi superbum hoc Cardinalis effatū persuaderi patietur, qui scimus, nihil unquā ad salutē credi à quoquā debere, nisi Deus hoc ipsū præceperit, & in sacra Prophetica atq; Apostolica scriptura revelatum extet, ex qua Pontifices hoc ip-

Bellarminus dicit in vocationem consuetudine saltem, nō verò scriptura niti.

hoc ipsum non desumpsisse, ipse Bellarminus *modo notando capite non it inficias asserens:* sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia universali, non tam lege aliqua quam consuetudinem autem hanc vim habere ex tacita vel expressa *summi* Pontificis approbatione. *Sic ergò vt in alijs quoq; doctrinæ capitibus, ità hoc etiam non in S. scripturæ, sed Pontificem Romanum, ejusq; fictam omnipotentiam fides Romanocatholica ultimò resolvitur.*

Ex hisce duabus quasi hypothesibus jam destructis plurima ad subsequentem ἐργασίαν perquàm utilia eliciamus. 1. Quoad objectum religiosam adorationem saltem esse unam. 2. Nihil quicquam utcunq; etiam excellens sit & pretiosum, sine mandato divino religiosè debere adorari. 3. Adorationem sanctorum à Pontificijs defensam non verbo Dei, sed veterum saltem consuetudine, quæ tandem legis rationem ex approbatione Pontificis obtinuerit, introductam esse. Jam porrò quod sanctis Jesuvitæ divinitatis honorem deferant, cosq; in solium usq; Dei evehant, nullo negotio commonstrabimus.

Vt

Vt autem in hac re, quantum fieri potest, brevitati studeamus, placet subsequentia hoc schemate Syllogistico, quod posteà per singula lineamenta illuminandum est, ob oculos ponere:

Demonstratio quod Pontificij sanctis divinos honores deferunt.

Qui sanctos 1. religiosè invocant. 2. eos mediatores inter DEum & homines. 3. Intercessores apud DEum pro temporalibus & spiritualibus bonis constituunt, & per sanctorum nomina jurant, ij sanctis hujusmodi honorem, qui Dei solius est, deferunt.

At Pontificij sanctos religiosè invocant, eos mediatorum & intercessorum loco apud DEum habent, corporalia & spiritualia à sanctis petunt & expectant, ac deniq; per nomen sanctorum jurant.

Ergò sanctis hujusmodi honorem, qui Dei solius est, deferunt.

Connexio Majoris multis nominibus est firmissima. Primò enim, vt jam antè evicimus, religiosè adorare est cultus primæ tabulæ, adeoq; solius Dei. 1. *Secundò, Opus mediationis inter Deum & hominem itidem est solius Filij Dei, quippè, qui* solus torculari calcando deputatus est, *Es. 63.* 2.

v. 3. & quem proposuit Deus ἱλαστήριον seu propitiatorium, *Rom. 3. v. 25.* estq; ille unus mediator Dei & hominũ, Homo Jesus Christus, *1. Timot. 2. v. 5.* III.

3. Omne bonum de sursum est à patre luminum, *Iacob 1. v. 17. vt ità, hujusmodi quid à sanctis poscere, sit eos Patri luminum adæquare. Bona quoq; spiritualia, vt conversio nostra, creatio veræ pœnitentiæ, excitatio fidei & fructuum eiusdem* Spiritui sancto *scriptura unicè tribuit, cujus est* cor mundum creare *Psal. 51. v. 12.* nos perficere *2. Corinth. 3. v. 6.* nos convertere *Ierem. 31. v. 18.* fidem nostram

4. obsignare *2. Cor. 1. v. 21.* IV. *Per solius* Dei nomen juramus, *Deut. 6. v. 13.* Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen ipsius jurabis, *cap. 10. v. 20.* mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua, *Esa. 45. v. 23. Rom. 13. v. 11.*

Assumptio documentis certis per partes

1. *fulcienda est. Prima est hæc:* sanctos Pontifices religiosè invocant, *quam infinita Papistarũ volumina, pro sanctorũ cultu religioso summo labore congesta comprobant.*

Robertus Bellarminus, *proponens varias*

rias cultus ſpecies, illum qui ſanctis competit, à civili accuratè diſtinguit, & mediam quandam voluntatis inclinationem cum apprehenſione excellentiæ pluſquam humanæ & minus quàm divinæ nominat. lib. 1. de ſanct. beat. cap. 12. Gregorius de Valentia *etſi propius* Bellarmino *ad nos accedere videtur, eò quod aſſerit:* Certum eſſe ſolum *Deum*, atque adeò etiam Chriſtum *Dominum*, qui eſt verus *Deus*, eſſe orandum per talem orationem, quæ ſit verè ac propriè actus virtutis religionis, quo nimirum ei, qui invocatur, exhibeatur divinus cultus, petendo ab eo ſpem, tanquam à ſummo bonorum omnium authore: *tamen mox iterum ſeſe prodit, dum in eo probando totus eſt, ſanctos canonizatos tanquam noſtros apud DEum interceſſores non ab eo, quod vivi à vivis aliquid petunt, modo, ſed peculiaris obſervantiæ cauſa invocandos eſſe, quæ virtus dulia ſeu hyperdulia dicatur, oſtendens videlic. ſe non invocationẽ, quæ 2da tabulæ cultus ſit, civilem putà: ſed ut primæ tabulæ cultum ſanctis attribuere. Tom. 3. comment. Diſp. 6. quæſt. 2. punct. 7.*

Bellarmini de Sanct. invocat. religioſa ſententia.

Sentent. Gregorii de Valentia.

Franciscus Cōsterus *illam adorationem, quæ in honore externo, capitis videlicet apertione, congeniculatione & reliquis civilibus ceremonijs consistit, nominat* imperfectam, *eò quod existimat*, eam mentis intentione esse metiendam, quæ ab his ceremonijs longius quandoq; abesse possit; *ideoq; non tantùm cultum hujusmodi civilem, sed longè quidem majorem sanctis esse offerendum*, eosq; (*ut verba Jesuvitæ habent*) amandos & metuendos, laudandos atq; rogandos, tùm ut pro nobis apud DEum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur. *Quo ipso civilem honorem à religioso* Cōsterum *discernere, & hanc quidem sanctis canonizatis attribuere manifestius est, quàm ut negari queat. Cap. 14. de venerat. sanct. prop. 5.*

Sententia Costeri.

Et non opus est longa primæ hujus partis probatione, cum nemo adversariorum illi sit contradicturus, apud quos in confesso est, civilem observantiam sanctorum venerationi nullatenus satis esse, cujus gratia solenni adeò Canonizatione, quæ 1. sancti tales publicè ab omnibus haberi juben-

jubentur. 2. In publicis Ecclesiæ precibus invocantur. 3. Templa & aræ in illorum memoriam Deo dicantur. 4. Illis horæ canonicæ nuncupantur. 5. Dies festi in eorum memoriâ celebrantur. 6. Imagines & anathemata publicè affiguntur; & 7. deniq; reliquiæ eorum pretiosis thecis includuntur & publicè honorantur, *Bellarm. lib. 1. de sanct. beat. cap. 7. minimè opus fuerit.*

Secundum Minoris membrum hoc est: Sanctos Pontificij Mediatores inter Deum & hominem constituunt. 118

Probat hocipsum expreße Robertus Bellarminus. Cum enim triplici modo alicui mediatoris nomen competere ostendit, primò scilicet, ut mediator reconcilians duos dissidentes declaret, uter justú petat. 2. ut creditori solvat pro debitore. 3. ut creditorem pro remissione debiti oret, postremo, *inquit,* modo sancti dici possunt mediatores inter Deum & eos, pro quibus orant; neque est cur timeamus nomen mediatoris transferre ad sanctos, sicuti ad eos transferimus *(sunt formalia Cardinalis)* nomen advo-

Sancti Bellarmino sunt mediatores inter Deum & homines.

cati & intercessoris, quæ Christo tribuuntur, *Rom. 8. v. 34. 1. Joh. 2. v. 1. ubi tanquam in transitu nota, quam abjectè de Christo Salvatore nostro Cardinalis sentiat & loquatur, quando ait:* inter cœteras causas ideò dici Christum solum mediatorem hominum, quia ipse mediatore nullo indigeat. *lib. 1. de sanct. beatitud. Cap. 20.*

NB.

Vt autem contradictionis & mendacij Jesuvvitam *rectius & plenius convincamus, non fuerit fortè difficile commonstrare, quod secundo etjam modo, quo aliquem μεσίτην dici ex ore ipsius jam audivimus, sanctos demortuos, contra quam hoc in capite loquitur, mediatores faciat. Remitto hujus rei causa Lectorem ad caput præcedens 19. ubi hæc verba inveniet:* Notandum est, quiâ ante Christi adventú sancti, qui moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium, ideò non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur: sancte Abraham ora pro me &c. sed solùm orabant homines ejus temporis Deum,

In Veteri Testamento non per sanctos, sed per merita sanctorum authore Bellarmino invocarunt Deum

&c

& allegabant MERITA SANCTORUM, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur, *lib. 1. cap. 19. An non hoc est sanctorum merita in orationibus allegare, illos mediatores pro debitore solventes constituere? Pari modo de* B. Maria Bernhardinus *loquitur.* Est *inquit*, mediatrix salvationis, conjunctionis (*scilicet Dei & hominum*) justificationis, reconciliationis, intercessionis, communicationis. *In Mariali.*

Quid? quod alibi Jesuvvita Bellarminus *non negat: sed palàm fatetur*, concionatores alloqui imaginem crucifixi, & Mariarum, eiq; dicere; tu nos redemisti, tu nos reconciliasti, quod quia per modum exemplaris, ut illud objectivè in imagine relucet, fieri *concedit. lib 2. de imaginib. cap. 23. nemo non videt has voces*; Tu Maria nos redemisti, tu Maria nos reconciliasti, *Cardinalem facere suas.*

His adde reliqua emblemata in Missalibus, Marialibus, Pontificialibus *alijsquè quorundam Pontificiorum re &*

nomine barbaris libræ com prehensa, qualia sunt: Mediatrix Dei & hominum, & fons misericordiæ, indesinenter effundens rivos copiosæ gratiæ Maria, te rogo dulcissima mater Domini nostri Jesu Christi. *In hortulo animæ Antiph. ad completorium. Item:* Tu Mediatrix Dei & hominum, amatrix mortalium, cœlestium illuminatrix, tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum, miseratrix & refugium peccatorum. *Quam crassam idololatriam in otiosis Monachis nemo usq; adeò admiretur, cum subtilissimus* Pater Bellarminus *ne quidem omninò inconveniens judicet dicere* filium Dei matri, aliquid petenti, obedire. *lib. 7. de sanct. beat. cap. 6.*

Hymnus in festo visitat. Mariæ.

III. *Tertium Minoris membrum hoc esto:* Pontificij sanctos invocant ut Intercessores apud Deum pro bonis temporalibus & spiritualibus.

In genere quidem, quod spem consequendi utraq;, tàm corporalia quàm spiritualia bona de sanctis conceperunt, vel ex unicâ illa in Pontificijs Ecclesiis admodùm usitatâ cãtione Hermanni Cõtracti *de Maria*

ria virgine confectâ constat, quæ sic incipit: Salve Regina, Mater misericordiæ, vitæ dulcedo, & spes nostra salve, ad te clamamus exules filij Evæ &c. *Quæ cantio usq; adeò placet* Roberto Bellarmino, *vt adversus* Lutherum *eandem* in sermone de natali Mariæ *strenuè refutantem, singulari capite eius defensionem suscipiat, in quo inter reliqua scribere non veretur,* Mariam verè esse matrem misericordiæ non tantùm quia Christi mater est, per quem misericordiam à Deo consecuti sumus; sed quia nobis quotidie ipsa à Deo misericordiam precatur & impetrat. *Spem* verò nostram *eodem capite,* Mariam dici *asserit*, quoniam post Dominium in ipsius potissimum intercessione confidimus, *lib. 1. de bonis operibus cap. 15.*

Maria Pontificijs mater misericordiæ & spes nostra.

Huc refer etiam, quod alibi sacrilegium non esse, sed formæ sanorum verborum conveniens statuit; sanctos vocare præsules salutis, *eúsq; dicere:* E cœlo respicite & adjuvate nos: *itemq;* fideles rectè sperare, per auxilium sanctorum suam orationem ad Deum melius & felicius per-

perventuram, *lib. 1. de beatit sanct. c. 16.*

Pontificij bona Spiritualia à sanctis petunt

In specie verò quod à sanctis expectent, 1. bona Spiritualia, videlicet liberationem à tyrannide Diaboli, peccatorum ablutionem, gratiæ cœlestis communicationem, conscientiæ afflictæ consolationem, & alia hujus generis, probatu longè est facilimum.

Ostendit hoc Litania Pontificiorum *ad omnes sanctos directa, quandò hoc modo cantum informare jubet:* Omnes sancti Angeli & Archangeli; omnes in universum sancti, orate pro nobis. *Iam verò hoc cantus genere quævis bona promiscuè, spiritualia autem præcipuè à Deo petimus, vt vel hinc appareat, sanctos impetrandis bonis spiritualibus ab adversarijs deputari. Hujus farinæ est & illud:* Sancte Dei precioſe Protomatyr Stephane &c. Funde preces pro devoto tibi nunc collegio, ut tuo propitiatus interventu Dominus nos purgatos à peccatis jungat cœli civibus.

In hymno de sancto Stephano. Item: O glorioſa virgo Maria, mater Regis æterni, libera nos ab omni malo, & à pœnis

nis inferni. *In Rosario Mariæ. Rursus:* Domina, refugium nostrum tu es in omni necessitate, & virtus potentior, conterens inimicum; beneficijs tuis plenus est mundus; superant cœlestia, penetrant & inferna; per plenitudinem gratiæ tuæ, qui in inferno erant, se lætantur liberata. *In Psalter. Mariæ, Psal. 45. Sic ad* sanctum Martinum: Mortis metum qui tuis prædixeras nihil mortem trepidans, à morte animæ nos libera. *In translatione sancti Martini. Iterum ad* Mariam virginem: O virtutum vasculum Regina coelorum; reparatrix & salvatrix desperantis animæ, irroratrix & largitrix spiritualis gratiæ: quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera, & da menti te poscenti gratiarum munera. *In Rosario Mariæ. Ibidem:* Ave vas clementiæ, gratiæ piscina, portus indulgentiæ, vitæ medicina, veniæ pincerna, nardus odorifera, gratiæ lucerna. *Rursus:* O Maria gratiosa, dulcis, mitis & formosa, applica nobis gratiam, &c.

2. *Bona*

Bona temporalia Pontificij sanctis accepta deferunt.

2 *Bona quoq; temporalia & corporalia à mortuis & Pontificis indictione canonizatis sanctis expectant. Hinc enim peregrinationes illæ votivæ ad* Iacobũ Compostellanum, Mariam Laurettanam, *& alios longo locorum intervallo disjunctos sanctos, eo fine sæpiusculè à peregrinantibus susceptæ, vt sanctorum illorum, quos se hoc modo verè colere autumãt, beneficio sanitatem atq; incolumitatem corporalem reportent; quas circumcursitationes tantoperè* Bellarminus *lib. 3. de cultu sanctorum cap. 8. commendat, vt eas* pias & religiosas *nominet, neq; id injuriâ;* siquidem sanctos in cœlo cum Christo regnantes non semel per participationem Deos *lib. 3. de cultu sanctorum cap. 9. appellat, vocabulo certè hoc in usu apud Prophetas & Apostolos nunquam reperto.*

Pontificij certis morbis curandis certos sanctos deputant.

Sic certis morbis certos è sanctis medicos constituunt: Antonium *ulceribus & gangrænis;* Fiacrium *febribus quartanis;* Sebastianum & Rochum *pesti;* Dominicum & Franciscum *fratrum & discipulorum suorum lui venereæ; & alios alijs morbis & malis mederi putant, ad imitationem*

tionem gentium sine dubio aut Turcarum, *quorum isti singulis malis singulos curatores, vt ex* Arnobio *jam antè audivimus, constituebant: hi verò, testantibus Turcicæ religionis scriptoribus, & cumprimis* Septemcastrensi, *peculiares quoq; sanctos habent, quorum alij à peregrinantibus, alij à parientibus, alij à calamitosis, alij à viatoribus invocantur*, eorumq; sepulchra (*verba sunt* Septemcastrensis) in magna habentur veneratione; atque inter omnes sanctos præcipuè eminet Sedichaen quidam, quod sanctum victorem seu victoriosum inter sanctos significat, *cap. 18. de religione Turcarum.* Idem faciunt & Turcæ.

Quartum Minoris membrum sic habet: Pontificij per nomen sanctorum jurant. IIII. Iuramentum religiosum.

Præmittenda est hoc loco Juramenti religiosi, quo Deus in testimonium veritatis, quæ latet, in vindictam perjurij invocatur, ab obtestatione civili & domestica distinctio: Hac enim ad faciendam fidem nostræ assertioni haud raro etjam utimur, ità vt res nobis charissimas veluti pignora dictis nostris apponamus; at illud, religiosum scilicet juramentum, non licet præ-

præstare invocatione alicujus creaturæ absq; crimine, Deut. 6. vers. 13. Est enim species cultus divini, illi unicè deferenda, qui καθ ἐξοχὴν est, qualem præter Deum agnoscimus neminem.

Iuramentū seu attestatio civilis.

Asseverationes verò & obtestationes civiles, modò absit levitas, per creaturas, citra injuriam Creatoris, fieri possunt. Nam Moses *obtestatur* Israelitas *per cœlum & terram. Deut. 30. versic. 19. &* Elisæus *ad* Eliam *ait*: Vivit Dominus & vivit anima tua, non deseram te. *2. Reg. 2. versic. 4. Sic quoque* Ioseph per vitam Pharaonis *fratres obtestatur, Gen. 42. versic. 15. Et quid usitatius fuit in populo Dei, quàm per* vitam regis *aliquid asseverare? Apud nos quoque quid familiarius quàm per* suam fidem, existimationem, generis nobilitatem & *similia alicui charissima sponsiones ac comminationes facere.*

Quando igitur Pontificij per nomen & dignitatem sanctorum jurant, de Juramento religioso, quod divini cultus partem constituit, illud omninò intellectū volumus.

Probat

Probat autem hanc Minoris partem Thomas Aquinas *eo, quod dicit:* religiosè per DEum jurare licere dupliciter; alias immediatè & primariò, alias mediatè & secundariò; per angelos puta & sanctos, *lib 2 quæst. 89. articul. 6.*

Jurare per sanctos religiosè, Pontificij non improbant.

Huic subscribit Gregorius de Valentia *his verbis:* Jurare autem per creaturam non secundum se, sed ut in ea relucet perfectio divina, non est illicitum, cum id sit revera jurare per Deum verum ut relucentem in creatura. *Tomo 3. disputat. 6. quæst. 7. punct. 3.*

Addantur huic probationi variæ Iuramentorum in Pontificatu usitatorum formulæ. Nos unam saltem atque alteram recitabimus.

Describunt Clementinæ *Iuramentum ab* Henrico septimo *Imperatore Pontifici Romano præstitum hoc modo:* Ego Henricus Romanorum Rex, annuente *Domino* futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atq; juro coram *Deo* & B. Petro, me de cœtero prote-

Iuramentū Imperatoris Henrici septimi, Pontifici præstitum.

protectorem, procuratorem & defensorem fore summi Pontificis, & huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando posessiones, honores & jura eius, quantum divino suffultus adjutorio fuero, secundum scire & posse meum recta & pura fide: Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. *lib. 2. Clement Tit. 10. de Jurejurando.*

Iuramentum Imperatoris Othonis.

Simile, immò longè crassius est Iuratum Othonis *datum* Iohanni Papæ, *quod ità habet:* Tibi Domino Iohanni Papæ ego Rex Otho promittere & jurare facio per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per lignum hoc vivificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod si permittente Domino Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ipsius exaltabo secundum posse meum, & nunquam vitam aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes. *part. 1. Decret. distinct. 63. cap. 33.*

NB.

Addo his Iuramentum religionis in refor-

reformatione Styriaca & Carinthiaca, *à subditis ad Papismũ pertractis exhibitum, quod Germanice ità habet:* Ich Armer Elender Sünder / bekenne euch Ehrwürdiger Herr Priester an statt Gottes / vnd der lieben Jungfrawen Maria / vnd allen Heiligen / daß ich so lang vnd so viel Jahr der Verführischen / Verdamlichen / Gottlosen / Sectischen Lehre beygewohnet / vnd in solchem schrecklichen Irrthumb gesteckt bin / ꝛc. *Et Paulò post:* Solchem grewlichem Irrthumb vnd verdamlicher Lehre entsage Ich / vnd verspreche derselben nimmermehr beyzuwohnen / So war mir GOtt helffe / vnd alle liebe Heiligen. (Rungius im Bericht von der Bäbstischen Reformation in Styrmarck / Kernten / Krain.) *Et concedit item* Iacobus Probst *in secunda parte* des Gegenberichts *cap. 5. fol. 77. His omnibus non incommodè adjecerimus, quod tanta, tamq; fertili idololatria, immò ἀνθρωπολατρείᾳ* Monachorum *praxis Liturgica scatuit, vt per sanctorum merita & passiones peccatores à peccatis absolvere non dubitarint, sicuti hujus rei vivum exemplar habemus in absolutione*

Absolutio Pontificia in & per merita sanctorum.

Monialium per Ducatum Lunæburgicum usurpata, quæ sic habet: Das Leyden vnſers HErren Jeſu/ das Verdienſt der heiligen Jungfrawen Mariæ/ vnd der Verdienſt aller Heiligen/ die Demütigkeit ewrer Beicht/ die Hertigkeit vnd Gehorſam ewrer heiligen Regel/ vnd die guten Wercke/ die jhr gethan habt/ vnd die vbeln vnd widerwertigkeit/ die jhr erlitten habt/ erledigen euch von Sünden/ Amen. Urbanus Rhegius *edidit cum commentario.*

Marc. 2. verſ. 7. *Hoc nimirum cum Marco eſt Deo ſoli poteſtatem relinquere remittendi peccata: ſcilicet.*

Atq; ita nunc obtentâ Minore, quis vitio nobis vertet, ſi purpuratum patrem Robertum Cretenſem *dicamus, & vi Syllogiſticâ*, Pontificios Dei cultu ſanctos afficere, *adverſus* Stentorem *iſtum Romanum trepidè inferamus.*

Videndum jam eſt ordine, quibus fundamentis tantũ & tam gravem cauſam inter nos & Antichriſticolas controverſam Cardineus *Pater* Robertus Bellarminus *ſuperædificet, cujus rei gratia 13. cap. lib. 1. de ſanct. beatit. in genere pro cultu religioſo cre-*

so, creaturis debito, fabricatū, excutiemus.

Examen Argumentorum, in genere pro cultu religioso sanctorum à R. Bellarmino allatorum.

Supereſt, *inquit*, Cardinalis, ut probemus cultum aliquem minorē divino, & majorē civili & merè humano, ſacris rebus ſanctis Angelis & hominibus deberi.

Primam probationē deſumit Jeſuvvita *ex* Pſalmo *99. & quidem ex his verbis:* Adorate ſcabellū pedum ejus; quoniam ſanctum eſt. Hic, *ait*, primò per ſcabellū notatur arca, quæ creatura eſt. 2. præcipitur aliquis cultus, quod patet ex verbo ADORATE, quod Hebræi efferunt (hiſtahauu) 3. quod cultus iſte non ſit civilis, ſed religioſus, patet ex ratione Davidis, quoniam ſanctum eſt, *ſcabellum, ſcilicet.*

Ad primam hanc Invocationis ſanctorum religioſæ probationem reſpondeo, committi in argumento Sophiſma pluriū interrogationum. Sunt enim in propoſito probationis genere duæ, eæquè toto cœlo à ſe diſſidentes quæſtiones, quarum altera eſt: Sitne Arca ipſa adoranda, ita vt lignum iſtud immediate adorationis objectū conſtituatur? alia verò eſt hæc; anne juxta arcā, ſeu eo in loco, quo arca repoſita

erat, preces sint fundendæ? quas quia Robertus distinctè non proponit, hinc fit, vt hoc suo, quot ἀκρόπολιν causæ posuit, argumento minus commodè doceat, & ad præfixum controversiæ statum parum concludat.

Secundò animadvertendum est & alterum σόφισμα λέξεως, quod in allegatione dicti hujus committit Iesuvita. Neque enim simpliciter habet Textus, uti proponit Adversarius Adorate scabellum, sed adorate seu incurvantes vos, honorem exhibite (lahadom) juxta seu ad scabellum: Iam verò, adorate scabellum (quod Davidem dicere mentitur Iesuvvita) & adorate ad seu juxta scabellum, in tantum differunt, vt illud illationi Jesuvvitica non parùm patrocinetur; hoc verò vim illationis omninò enervet.

Adorare ad scabellum pedũ quid Davidi significet.

Sensus autem dicti Davidici hic est: Deum adorandum in templo, & quidem ad arcam fœderis, quippè, quòd eo loco se gratioso & singulari præsentiæ modo invocantibus affuturum promiserat: Id verò cultui iconolatrico Pontificiorum, quod Israelitæ ad arcam fœderis, & in monte sancto,

sancto, in quo templum erat extructum, adorare jubentur, nihil omninò subsidij affert: Christo enim in carne exhibito, typica hæc desijsse scimus, qui ante per arcam fœderis præfigurabatur; nec jam ullibi hujusmodi propitiatorium Deus nobis proponit, sed ad Christum rectà sine ambagibus nos accedere jubet, siquidem jamdudùm venit hora illa, quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorare ulterius oportet: sed potius, *Christo teste,* veri adoratores in Spiritu & veritate adorabunt. *Ioh. 4. v. 21 & 23. Immò Paulus omni in loco vult viros attollere manus puras. 1. Timoth. 2. v. 8.*

Quod adversus Calvinum & Bucerum *porrò circa hanc primam probationem adeò laboriosè* Iesuvvita *ostendit, per scabellum non templum, sed arcam denotari, minimè erat necessarium, cum utraque explicatio eodem recidat, & sive de templo, sive de arca fœderis scabelli vox accipiatur, nihil aliud quàm locum precum coram Deo effundendarum importet.*

Tertiò tandem nec illud tolerandum est, quod verba illa Quoniam sanctus est

Jesuvvita ad (hadom) *seu scabellum detorquet, cum eo ipso* Regius Psaltes *Deo, arcæ propitiationis viciniori, reverentiam exhibeat, illumq; ob sanctitatem suam eo in loco religiosè colendum commonstret. Clarius hoc patet ex Textu originali, qui non habet* sanctum *illud, scabellum putà, sed* (Kadosch hu) sanctos ille *scilicet, quem anteà nominaverat* Jehovam dominantem *v. 1.* & *Dominum Deum nostrum, vers. 5.*

2. *Secundum fundamentum desumit* Bellarminus *ex aliquot scripturæ exemplis, hoc, sicuti ipse quidem censet, docentibus,* quod sancti Angeli non semel tantum religiosé culti fuerint.

Priora duo sunt Abrahami & Lothi *Gen. 18. v. 2. & 19. v. 1. quos dicit* pronos in terram cecidisse, & Angelos adorasse: *At quæ respondemus de cultu & adoratione religiosa ista exemplo nullo modo intelligenda esse: Neq; enim* Abrahamus *cum Angelis, sed solum cum hominibus sibi negotium esse putavit, quod hinc satis apparet, quia cupit illos reficere, tanquam ex itineris labore defatigatos, capit adornare*

nare convivium ad refocillandos illos tanquam famelicos & sitibundos, quod Angelis, qua Spiritualibus corporibus constant, competere nequit.

Nec obstat, quod Textus originalis habet, Abrahamum in terram sese projecisse, (Vaijstha hu areza) *constat enim verbum* (Schacha) *quod sese prosternere, & deorsum incurvare significat, sæpius de civili & externa reverentia accipi, sicuti passim in sacris literis exempla occurrunt, 2. Sam. 9. v. 6. 1. Reg 1. v. 16. &c. Et fuit hæc προσκύνησις orientalibus istis populis in civilibus congressibus admodùm usitata, uti ex sacrâ & profanis historijs videre licet. Videt a. horum exemplorũ cum præsenti statu controversiæ disconvenientiã Jesuvvita, ideoq; hæc loca ipsemet suapte sponte repudiat.*

(Schacha) sæpè de civili & externa corporis reverentia accipitur.

Tertium proinde exemplum mutuatur ex capite 22. Numerorum vers. 31. ubi de Balaamo *legitur, quod* Dominus oculos ipsi aperuerit, ità ut Angelum in via evaginato gladio stantem viderit, & pronus in terram adoraverit. Hic *inquit*, Robertus, non prius adoravit,

quam Angelum agnovit; at civilis honor Angelis non debetur. E religioso cultu eundem prosecutus est.

At hoc exemplum præter inanem principij petitionem nihil habet: Demus enim Balaamum *Angelum agnovisse, non tamen quà Spiritus est (adeò validi & acres enim corporum nondum glorificatorum oculi non sunt) sed quatenus assumpta ad tempus forma humana se illi manifestavit: Demus item* Balaamum *coram Angelo in terram dejeciisse: Anne verò continuo hinc sequitur, quod* λατρεία *primæ Tabulæ Angelum veneratus sit? minimè.*

Angelis nullum nisi religiosum honorem deberi opinatur Iesuvita.

Probat autem illud Robertus: Angelis, *inquit*, ridiculum est dicere, deberi civilem honorem. *Atqui nos contrà ridiculum, immò & impium esse, sine verbo Dei cultum religiosum ulli creaturæ attribuere, &* Robertum παρὰ τὸ αὐτεῖος καὶ λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ *hac probatione peccare, pronunciamus.*

Quartum exemplum quod adducit Adversarius extat Iosuæ 5. v. 14. ubi Iosua in campestribus Hierichō, postquam videret virum è regione stantem, qui se princi-

pem

pem exercitus Domini nominat, pronus in terram cecidit & adoravit.

Hic tria monet Jesuvvita. 1. quod Josua *non* Deum *sed* Angelum *adoraverit. 2. quod non adoraverit civiliter, sed religiosè. 3. quod non malè fecerit adorando hoc modo.*

Ad primum respondeo, nequaquam concedendum, Iosuam *cum creatura hoc loco conversatum fuisse; sed potius cum creatore ipso filio Dei,* Angelo illo fœderis, *Malach. 3. v. 1.* & principe pacis *Esa. 9. v. 6. Sed probare nititur contrarium Bellarminus,* quia, *inquit,* dicit se esse ministrum. Ubi *verò* Roberte *? In Biblijs fortè ex tuo cerebro progenitis ? in nostris enim non ait, quod servus sit Domini: sed (*Schar Zeba Iehova *) hoc est,* Princeps exercitus Domini, *qui se alibi* Michaëlem principem magnum *nominat,* stantem pro filijs populi sui, & pùgnantem cum Dracone. *Dan. 12. v. 1. Apocal. 12. v. 7. Et vel hinc apparet manifestè inter hunc Angelum fœderis & reliquos naturâ tales ingens discrimen. Illi enim non principes hominum piorum se nominant, sed*

Iosua non Angelum, sed Dei filium adorat.

συν δούλους *conservos, Apocal. 22. vers. 9. neq; creati sunt vt dominium in pios exerceant, sed vt sint* πνευματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποσελλόμενα *Hebr. 1. v. 14.*

Et an non quæso luce meridiana clarius est, virum hunc principem, qui Iosuæ *apparuit,* Iehovam *fuisse, cum ijsdem verbis idem alibi et jam Mosi sese stiterit, quem similiter ob loci sanctimoniam, in quo stabat,* pedes denudare jussit *Exod. 3. v. 5.*

Secundum & tertium concedimus priori destructo. Nam & religiosam istius loci adorationem, & bonitatem actionis nemo non agnoscet, si illam coram filio Dei *editam fuisse primò constiterit. Minus verò reverenter de Angelis purissimis, & ab omni fastu alienissimis Spiritibus sentit* Robertus *quandò illos adeò arrogantes facit, vt adoratione religiosa non contenti plura subjectionis specimina ab hominibus sibi exhiberi flagitent; quod ad* Luciferum *è cœlo deturbatum rectè quidem; ad sanctos verò Angelos non nisi per insignem injuriam* Iesuvvita *dignam transferri potest.*

Terti-

Tertium causæ suæ fulcimen ponit Bellarminus *aliquot exempla, quæ sanctis partim mortuis, partim vivis religiosam adorationem exhibitam fuisse probent; illa qualia sint, videbimus.* III.

Prius desumptum est ex 1. Reg. 28. v. 14. ubi Saul legitur adorasse animâ Samuelis; *ad quod duo rursus notat. 1. Certum esse civilem honorem animabus defunctorum non convenire. 2. Saulem hoc facto non errasse, quandoquidē nec Samuel, nec scriptura factū hoc reprehēdat.* I.

Ad hoc argumentum respondeo; ad majorem quidem, eius consecutionem esse vanissimam, & adeo quidem nullam, vt per inversionem verius inferatur: Saul adoravit spiritum à Pythonissa excitatum. Ergò Spiritus corporibus soluti hoc modo invocandi non sunt. *Quis enim adeò est stupidus, qui non videat, Saulem hoc, ipso, quod Pythonissam consuluit, quod, neglecto verbo Domini vivo & veraci in omnibus necessitatibus remedio, ad mortuos confugit, enormiter peccasse?* Non inveniatur in te, *habet vox Domini*, qui ariolos scisciteur, & observet somnia atque auguria

auguria, neq; sit maleficus, nec incantator, neq; qui Pythones consulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem, *Deut. 18. v. 10. & 11. quod mandatum, quàm strictè Saul anteà observaverat, ex ejusdem capitis v. 3. & 9. apparet. Contrà Bellarminus* Saulem *non tantùm rectè hoc loco egisse; sed etjam Saulis hoc exemplum imitandum esse veteratoriè deblaterat: Sed palliat suam hanc impietatem,* Robertus *hoc prætextu;* nec Samuel nec scriptura Saulem reprehendit. Ergò rectè egit.

Respondeo, Samuelem *quod attinet, de illo in solutione Minoris modò videbimus: scriptura verò dupliciter aliquid reprehendere aut statuere, probare aut improbare solet, genericè aut speciatim: Priori modo jam antè factum hoc Saulis idolatricum reprehensum audivimus, quò possunt etjam alia sacrarum tabularum testimonia, passim notata reduci, inter quæ non est postremum illud Esaiæ 8. v. 19.* Cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & à divinis, qui stridunt incantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret

Scriptura aliquid approbat aut improbat vel in genere vel in specie.

quiret visionem? pro vivis mortuos consulet? Ad legem & ad testimonium, &c. *Posteriori modo non semper opus esse judicavit, ut quiddam reprehenderet, vel approbaret Spiritus sanctus, cum ex lege lata de facti speciei facillimè possit ferri judicium.*

Cur Spiritus sanctus omnia malefacta in specie non reprehendat.

Et si hæc ratio Iesuvitæ militaret: Scriptura hoc vel illud factum in specie non reprehendit. Ergò bonũ & rectum est; quotnam, quæso, facinora etjam turpissima umbraculo isto Cardinalitio tegi, immò excusari possent! Sic scriptura speciatim nec illud quoq; Saulis factum taxat, sed saltem commemorat, quòd Davidem hasta præter omnem antegressam culpam transfigere conatur 1. Sam. 18. v. 11. quòd item Saulus sibiipsi *manus violentas infert 1. Sam. 31. v. 4. & alia infinita.*

Deinde Minor quoq; Syllogismi Iesuvitici *est falsissima. Neq; enim ulla vel probabili saltem ratione evincere* Iesuvita *poterit, animam veram & genuinam Samuelis in manibus Domini quiescentem virtute incantationis, à Pythonissa editæ, revocatam fuisse: quo posito, sitné adorata, &*

Verus Samuel à Pythonissa non fuit excitatus.

ta, & utrum civiliter, an verò religiosæ, supervacaneum est inquirere.

Non latent nos Pontificiorum & Patrum quorundam vetustiorum hac de re sententiæ, qui etsi de quæstione præsenti in utramq; partem sæpius disputarunt, eò tamen præcipuos ex his inclinare apparet; illud quod Sauli apparuit, non animam Samuelis, sed Satanæ potius spectrũ fuisse.

Et quàm verus sit hic Satanicus Samuel *inde apparet, quod dicit* crastina luce Saulem cum liberis ad se transiturũ, *cum certò constet, Samuelem jam tùm fruitum esse hæreditate cœlesti, cui ut* Saulem *indubitatò adjudicemus, plurima sunt, quæ impediunt.*

Qui plura hac de re cognoscere cupiunt, hi legant Iustinum Martyrem *responsione ad quæstion. 52.* Augustinum *lib. de octo quæstionibus ad Dulcitium, quæstione 6.*

Et quamvis ponamus, nunquam tamen concessuri, quod ipsa Saulis anima hoc in loco culta fuerit, quid probationis pro cultu religioso in hoc facto affert Bellarminus: Certum est, *inquit*, civilem venerationem animabus defunctorum non competere.

petere. *At hoc per principij petitionem, boni disputatoris moribus malè convenientem Iesuvvitam proferre jam antè monstravimus.*

Alterum depromit ex 3. Reg. 18. v. 8. II.
ubi Abdias *præfectus domus* Achabi corã Elia super faciem cecidisse *scribitur.* Hic cultus, *ait Iesuvvita*, civilis non fuit; Nam quantum ad humanam excellentiam, major erat Abdias quàm Elias; iste enim privatus homo erat, ille autem unus ex principibus regni: adoravit ergò eum ut Prophetam, ac Dei hominem, singulari sanctitate excellentem.

Resp. Tot penè vitia, quot verba. Primò enim committitur in exemplo allato paralogismus ἐσοροζητήσεως, cum illud propositum exemplum saltem probet, vivis cultum quendam (qui utrum civilis an religiosus fuerit, mox dicemus) fuisse exhibitum: Jam verò quid hoc ad præsentem statum controversiæ, qui hic est, anne Angelis & sanctis demortuis, àque Pontifice Romano, cui soli secundùm Bellarminum *capiti præcedenti octavo*

hoc

hoc competit, in canonem translatis, competat cultus quidam religiosus? Deinde falsum est religiosè hoc loco Eliam *ab* Abdia *cultum fuisse; quin potius fuit hæc reverentia civilis, qua suum erga Prophetam hujusmodi animosum, benevolum & observantem animum declarare voluit. In quanto enim pretio apud hunc* Abdiam *Prophetæ fuerint, id subsequens historica narratio ostendit, quandò de eo scribitur, quòd* Dominum Deum timuerit valdè, cumq; Iezabel Prophetas Domini exterminaret, quinquagenos & quinquagenos, per antra & speluncas distributos, non tantùm incolumes conservaverit: sed aqua etjam & pane cibaverit.

Ad civilem hanc προσκύνησιν non fuisse probare nititur hac ratione: Excellentior humana excellentia non colit inferiorem; Atq; Elias humana excellentia erat inferior. Ergò ab Abdia civiliter non colitur.

Ad hanc Syllogismum, eiusq; 1. Majorem respondeo, illam vel loqui de more, vel de lege: Prioris ratione rem ità sese habere non omninò imus inficias, quan-

quàm

quàm tamen difficile fortè haud fuerit contraria aliquot exempla tàm sacra quàm profana in medium adducere: posteriori verò respectu Major simpliciter vera esse non potest, cum vox Apostolica jubeat, ut alter ab altero honorem fastu arroganti non expectemus; sed honore nosmet invicem præveniamus *Rom. 12. v. 10.*

Et cum etjam secundum Philosophum *lib. 1. Et hic cap. 5. honor magis sit in honorante, quàm in honorato, citra decrementum excellentiæ & authoritatis majorem minores honorare posse est perspicuum.*

In Minore verò ludit Jesuvita *Elencho homonymias longè crassissimo. Humana enim excellentia vel ea intelligi potest quæ ab hominibus tantùm inventa, adeoq; merè humana est, vel restringi potest ad certum vitæ genus, quod, etsi ab hominibus colitur, longè tamen superiorem habet authorem DEum videlicet Optimum Maximum. Sic officio Prophetico itemq; Magistratus civilis functi sunt (quandoquidem per Angelos Deo nobiscum agere non placuit) absit tamen, ut illam officiorum*

dignitatem merè humanam dicamus, & excellentiam humanam priori saltem modo personis in hujusmodi officijs constitutis deferamus. Jam si posteriori modo vocem (Excellentia humana) Iesuvvita *acceperit, næ hoc loco à Pontifice Romano & Cardinalibus exiguam gratiam referet. Quis enim erit mortalium, qui non fateatur,* Eliam Thesbiten *omnibus Pontificibus & Cardinalibus longè fuisse majorem: jam verò cum hunc quoq; ad pedes Reguli cujusdam & præfecti ædium abijciat, an non eo ipso Pontificem, omnesq; Cardinales minus excellentes, quàm sunt Principes seculares facit, quod, quomodo cum prærogativis Petro & successorum, quas multis capitibus alibi exponit* Robertus, *itemq; cum plurimis rescriptis & factis Romanorum Pontificum conveniat, ipse viderit.*

Nos certè falsissimum esse dicimus, Heliam Abdia *hoc modo fuisse inferiorem: Erat siquidem* Elias *ad opus reformationis Ecclesiarum Jsraeliticarum divinitus, & quidem immediatè vocatus; habebat proinde Spiritus sancti infallibilem assistentiam; clarus erat dono miraculorum: &*

tanta

tanta quidem apud DEum pollebat gratia, vt cœlum precibus suis obserare, rursusq; reserare potuerit: hunc anne privatum dicemus, vt Iesuvvita *per temeritatem effutivit? anne regulo & quidem ædium cūstodi inferiorem judicabimus? Absit.*

Atq; hæc eadem, quæ circa primum & secundum hoc exemplum dicta sunt, ad refutationem sequentiū omnium aptissimè adhiberi possunt. Notetur saltem (ne in re manifesta justo diutius subsistamus) βδέλυγμα Iesuvviticum: Nabuchodonosor *&* Alexander Magnus *homines gentiles & extra Ecclesiam positi, sanctos, hic* quidem Pontificem Jaddo, *ille vero Danielem, adorarunt, Ergò illis cultus religiosus competit. Ab idolatria Ethnicorum ad cultum inter Christianos tenendum. Hoc delirium recitasse est refutasse.*

Iesuvvita à factis gentilium ad cultum Dei in Ecclesia recipiendum argumentatur.

Argumentum quartum pro confirmanda sua sententia nectit Adversarius ex confessione Patrum, *qui* à temporibus Apostolorum usque ad nostra tempora floruerunt, *ad cujus solidam refutationem paucula quædam præmittenda sunt.* 4.

I. Quicquid ad salvificam fidem facit, ex solis scripturis desumendũ est.

Primò quidem tenendum est; quicquid ad fidem & cultum pertinet, id ex solis, solis inquam, scripturis, quantum ad salutem scire satis est, sufficienter posse probari; quo posito, omne quod probationis loco in causis fidei extra & præter scripturas Canonicas ab Ecclesiasticis scriptoribus affertur, non esse per se authenticum & ad obtinendum, quod infertur, satis idoneum, sed saltem secundariam quandam authoritatem, quatenus nimirum in scriptura fundatum est, & cum eadem consentit, obtinere, confestim est consequens.

II. Ecclesia non eandem, circa doctrinam de religiosa adoratione, puritatem retinuit.

Deinde sciendum est, non eandem puritatem doctrinæ circa venerationem sanctorum & cultum religiosæ adorationis sonuisse perpetuò in Ecclesia. Etsi enim per integros ducentos annos tempore Ignatij, Iustini, Martiris, Clementis Alexandrini, Tertulliani &c. *Dogma hoc Pontificium de invocandis sanctis Ecclesiæ ignotũ fuit, postmodù tamẽ* Origenis *auxilio, qui in schola* Platonica *magis erat exercitatus, quàm in simplicitate piscatoria, paulatim consuetudo in pomœria Ecclesiæ irrepsit, vt sanctis religiosus honos deputaretur,*

retur, qui mos iniquus, vt sit in ijs, quæ prava sunt, paulatim accrevit, & plurimis aliis incommodis occasionem præbuit. Non mirum igitur, si etjam inter Patres vetustiores quidam minus rectè de hoc negotio senserint, & incommodius locuti fuerint.

III. Sancti, quo honore, & quomodo prosequendi.

Tandem nec illud prætereundum est: Nos, dum sanctis religiosum cultum soli Deo competentem negamus, debito honore eosdem minimè interim privare; qui hic est potißimum, vt primò Deus in sanctis celebretur. 2. vt dona, quibus divinitus exornati fuerunt, collaudentur. 3. vt verorum sanctorum præclaris vestigijs insistamus, & 4. denique, vt exemplo sanctorum in cursu fidei confirmemur. Hunc honorem tàm quidem sanctis non derogamus, vt contrà sacris literis eundem quàm maximè consentaneum esse clamemus, & suo etjam loco ac tempore probemus.

His præmißis ad argumentum Iesuvitæ tanto hiatu prolatum, respondere est facilimum.

Primò enim eidem inest fallacia consequentis & causæ non causæ: Patres tradiderunt, sanctos religioso cultu esse co-

lendos, Ergò &c. *quæ consequentia apud nos nulla est.*

Deinde in allegatis dictis Patrum magnum sanè discrimen agnoscimus: Quædã enim nos nihil prorsus tangunt, neq; quod authorem, neq; quod rem in ijs prolatam spectat; quædã contra, quià sine scriptura, immò & contra scripturã, & quidem ab ijs proferuntur, quorũ alioqui operã parũ probatã esse novimus, eadé facilitate à nobis rejiciuntur, qua afferuntur, *vt* Hieron: *alicubi loqui placuit in 23. caput Matth.*

In specie, vt de singulis aliquid addamus.

Bellarminus committit crimen falsi.

Primum est Iustini Martyris, *in quo citando crimen falsi non uno modo scelleratissimus* Jesuvvita *committit: Primò quidem invertendo scopum* Iustini: *2 aliter recitando verba Patris atq; ipse ea consignavit: 3. adimendo ea, quæ in* Iustino *extant. Agit enim eò loci* Iustinus *coram Imperatore de iniquitate processus, qui contra Christianos instituebatur, & dicit; eandem sortem experiri Christianos sui temporis, quam olim* Socrates *expertus fuerat, qui cum contra Dæmonum cultum disseruisset causa incognita ἀθεότ. proclamatus & damnatus erat: Sic quoq; Chri-*

ſtianos ἀθέους ex præconcepto odio vocari conqueritur, & addit, talium quidem Deorum, quales à Gentilibus colebantur, Chriſtianos maxime eſſe expertes, atque ita ſecundum quid ἀθέους dici poſſe, interim verò illos non eſſe expertes veriſsimi illius Dei. partis juſtitiæ & caſtitatis, & virtutum aliarũ, ac omni vitioſitatis mixtione & labe alienarum. Hunc n. *inquit*, ipſum (*ſunt verba* Iuſtini) & qui ab eo venit, atq; iſta nos, & aliorum obſequentiũ exæquatorumq; ad voluntatem eius bonorum Angelorũ exercitum docuit, filiũ & Spiritum Propheticum colimus & adoramus: cum ratione & veritate venerantes, atq; unicuiq; diſcere ac noſcere volenti, pro eo atq; edocti ſumus, candidè hæc tradentes. Hic Iuſtinus Patrem, Filium & Spiritum Propheticum, *quo nomine* Spiritũ ſanctum *intelligit, Chriſtianos adorare pronunciat; de filio verò dicit, quod is* docuerit Chriſtianos obſequentium bonorum Angelorum exercitum: *de adoratione verò Angelorũ verbum hoc loco extat nullum. Atq; hinc, quàm in citandis ſanctis Patribus Cardinalis Bellarminus ſit candidus, ſemel pro ſemper notemus.*

Secundò affert Origenem, *cujus sententiæ subscribimus, verorum nimirum sanctorum memoriam in Ecclesia celebrari debere. Et quamvis adversum nos aliquid proferret* Origenes, *citra crimen tamen propter multiformes errores in fundamento, quibus puritatem doctrinæ evertit, authoritatem ipsius reijcere possemus, idquè magni* Hieronymi *exemplo:* Credite experto, *inquit ille,* venenata sunt Origenis dogmata, & aliena à scripturis sacris, vim facientia scripturis.

Originem pro Orthodoxo non recipimus.

Testimonium Hieronymi de scriptis Origenis.

Tertium, Eusebij *testimonium scilicet, nihil nobis adversatur, qui itidem fatemur,* illos sanctos nos diligere, & venerari *(veneratione intellige, paulò antè descriptâ)* quiq; fuerunt verè pietatis milites, quiquè Magistro & Domino suo fidem integrè servarunt.

Quartò producit Athanasium; *& quidem non scriptum aliquod* Athanasij *genuinum & germanum; sed verè suppositium, illud scilicet, quòd inscripsit* de virginitate *sive de* meditatione; *in quo (quisquis etjam scripti author est; Athanasius certè non est; aut si est, stylum consuetum*

Athanasij scriptum de virginitate est suppositium

suetum & gravitatem Theologicam mirè abijcit) pueriles quædam præceptiunculæ de pecuniæ contemptu, jejunijs & sobriâ vitâ, virgini cuidam, cujus nomen adscriptum non est, præscribit.

Et non usq; adeò allegatus locus contra nos facit, qui & ipsi fatemur, sanctos Dei homines honore, superiùs notato, esse afficiendos: Illud saltem notamus, necessitatis non esse, sed libertatis, ubinam, & quâ reverentiâ civili veros sanctos excipiamus: quodquè dicta Athanasij verba de civili saltem benevolentiâ sanctis vivis exhibenda loquantur, ex Textu plenè adscripto patet, qui sic habet: Si vir justus ædes tuas ingreditur, cum timore & tremore occurres illi, & adorabis humi ad pedes illius; siquidem illum non adorabis, sed Deum, qui illum mittit: Capies aquam, & lavabis pedes ejus, & cum omni reverentia audies verba ejus; *quæ posteriora verba callidè* Jesuvvita *omisit.*

Quintus, Bellarmino *est* Basilius, *quem ex illorum Patrum numero esse fatemur, qui de sanctorum invocatione nimis irreligiosè locuti sunt, cujus rei testis esse*,

potest vel unica illa Panegyris Mamanti Martyri *sacra in qua etsi multa de honore sanctis verè competenti affert, inter quæ præsens quoq; locus à* Iesuvvita *allegatus reputari potest, quippè qui nostræ causæ nihil obest: tamen sive vulgi vanis relationibus seductus, sive illo, qui jam tum* Origene, *ut diximus, authore, introductus erat, more pravo sanctos invocandi fascinatus fuerit, non pauca eidem orationi, formæ sanorum verborum minimè consona, intertexit; qualia sunt, quæ de miraculis & post mortem visis apparitionibus* Mamantis, *itemq; de adjutorio in orationibus & officio patroni ejusdem oratoriè magis, quàm Theologicè proloquitur; quæ nos, utpote citra scripturam prolata, parum aut nihil morari addecet.*

Gregorius Nazianzenus & Basilius coætanei.

Sextum sistit Robertus Gregorium Nazianzenum, *ob eximiam de sacris rebus scientiam & vitæ integritatem* Theologum *dictum, qui quia* Basilij ἐμπλέξ *fuit, & cum reliquis etjam Græcis Patribus nævos quosdam communes habuit, mirum non eus, quod pauxillum erroris ex con-*

consuetudine Basilij *attraxit*, *cum quo* Athenis *aliquandiu familiariter vixit*, & *studia sua conjunxit*.

Idem quoq; ad locum ex Gregorio Nyssseno *pruductum respondisse sufficiat*; *cuius scripta itidem nævis minimè carere novimus*; *quod tanto minus miramur*, *cum constet maximam vitæ partem plerosque hucusque allegatos Patres vel in oratorijs*, *exercitijs*, & *politicis negotijs*, *vel in Philosophicis studijs contrivisse*, & *serò ad sacrarum literarum studia accessisse*.

Octavus, *qui* Ephiphanius *est*, *nostram sententiam non parum fulcit*: Iesuvvitæ *verò thesi totus est contrarius*, *eò quod honorem* Mariæ *competentem à cultu religiosæ adorationis accurate discernit*.

Nono, Chrysostomo *puta*, *idem respondemus*, *quod paulò antè* Basilio, Nazianzeno, & Nysseno; *neq; n. vocẽ illam*, *qua in laudibus* Iuventini & Maximi, *martyrũ*, *utitur*, ὑποτυπωσει ὑγιαινόντων λόγων *consonam judicamus*, *quando in fine dictæ parentationis sic scribit*: Iccircò sæpè eos (Iuventinũ *scil.* & Maximũ) invisamus, tumu-

tumulos adornemus, magnaq; fide reliquias eorum contingamus, & inde benedictionem aliquam assequamur &c. *quæ ad imminutionem honoris* Spiritus sancti *datoris omnium benedictionum facere, liquidò agnoscimus; Notetur tamen fucus etiam Cardinalis, quandò pro voce* adornemus *substituit* adoremus, *quæ nullatenus ἰσοδυναμεῖν esse quivis perspicit, (in fine tom. 3.)*

Iesuvita corrumpit locum Chrysostomi.

Decimo loco profert Cyrillum Alexandrinum *contra* Iulianum Apostatam *ita loquentem:* Nos non Deos factos esse diximus sanctos Martyres; sed omni honore eos dignari consuevimus: *quem verò honorem hoc loco* Cyrillus *intelligat, ipse paulò antè clarissimè ostendit:* sanctos martyres, *inquit*, neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consuevimus: laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem servarunt &c. *lib. 6. contra Iulianum, fol. 622. ubi nemini obscurum esse potest, quàm luculentum discrimen inter adorationem religiosam, & verum sanctorum honorem* Cyrillus

lus *faciat. Et idem confirmant verba Patris, ijs, quæ Jesuvvita hic reposuit, immediatè conjuncta, quandò sanctos sic à se honorari profitetur, vt* illis reponatur memoria immarcesibilis pro honoribus & remuneratione fortitudinis tàm conspicuæ &c. *quæ verba, quià palato* Iesuvvitæ *non conveniebant, ideoq; suo more veteratoriè ea rursus omisit.*

Theodoretum, *qui* Bellarmino *inter Græcos Patres Vndecimus est*, Basilio, Chrysostomo, *&* utrique Gregorio, *de quibus hoc in negotio paulò antè nostram diximus sententiam, adjungimus: Illud saltem addentes, mirum nemini videri debere, cur hunc Patrem magnifaciat* Iesuvvita, *eumq;* Calvinianorum *more frequenter alleget; cum in eodem Nestoriano luto unà cum Sacramentarijs*, Robertus Theodoreti *more hæreat, vt patet ex cap. 8. quæst. 10. & sequentibus Controversiæ secundæ generalis, tom. 1. lib. 3. de quibus alibi videbimus.*

Idem quoq; dicimus testimonio Iohannis Damasceni, *ultimo loco inter Græcos Patres à* Iesuvvita *collocato, cuius integrum*

grum caput allegatum, à ſaniori circa cultum ſanctorum doctrina propemodum abhorret: nec tàm illa verba, quæ hic Ieſuvvita *appoſuit, quæ dextrè intellecta vtcunq; tolerari poſſent; quàm quæ ſequuntur, ubi ſanctos* προσάτας totius generis humani nominat, Deo ſupplicationes noſtras offerentes, quos fide, pſalmis, ſtatuis, & alijs ſacræ ſcripturæ ignotis modis colere teneamur.

Latinos *deinde producit Patres, I.* Tertullianum, is, *inquit*, in libro de corona militis, meminit celebrationis feſtorum in natalitijs martyrum; *Ergone probat ἀποθέωσιν ſanctorum* Ieſuvviticam? *nullo modo. Quàm n. à cultu imaginum, quas ſanctos* exemplariter referre *ſupra* Ieſuvvita *dicebat, ſit alienus* Tertullianus, *ex eodem libro de* corona militis *patet, in quo inter cætera ſic ſcribit:* Filioli, cuſtodite vos ab Idolis, non tàm ab idolatria, quaſi ab officio; ſed ab idolis, id eſt, ab ipſa effigie eorum. Et alibi: nos *inquit*, adoramus oculis ad cœlum ſublatis, non ad imagines ſeu picturas. *cap. 39. Apolog.*

Tertullianus orationem corã imaginibus inſtitutam improbat

2. Cy-

II. Cyprianum, *qui nihil aliud dicit commendatione* Celerini, *quam* Martyrum passiones anniversaria commemoratione celebrari; *quod si cum libertate observationis temporum & superius præscripto modo fiat, minimè repudiamus, cum etjam Spiritus sanctus* memores nos esse *jubeat* præpositorũ nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitium conversationis, imitemur & fidem, *Hebr. 13. v. 7.*

III. Ambrosium, *quem, utpotè coætaneũ* Basilij, *à quo & Monachatum tandem assumpsit, in erronea hac in parte sententia fuisse aliquandiu non diffitemur, id quod videre est in panegyri* fratri Satyro *habita, ubi pro ratione istorum temporum Rhetoricis amplificationibus plus justo indulsit.*

Alibi tamen idem Ambrosius *contra Ethnicos, quàm nihili faciut fundamentũ illud à Pontificijs etjam nonnullis* ἀντεφωνηματείᾳ *substerni solitum*, sicut regem per ministros convenimus, ita etjam ad Deum per sanctos aditum patere, *clarissimè ostendit, ubi in hæc verba prorumpit:*

age,

Ambrosius vetat compellare Deum per sanctos.

age, nunquid tam demens est aliquis, ut honorificentiam regis vendicet comiti *in cap. 1. Epistolæ ad Romanos: Itemq;* alio loco: Christus os nostrum est, per quod Patri loquimur; oculus noster, per quem Patrē videmus; dextera nostra, per quam Patri nos offerimus; quo nisi intercedente, nec nobis, nec sanctis omnibus quicquam cum Deo est. *lib. de Isaac & anima. Vnde quantum argumenta ex Patrum sententia prolata roboris habeant, quilibet perspicit.*

IV. Maximum, *qui Martyres devotissimè colendos esse, & eos cumprimis, quorum reliquias possidemus, pronunciat: quod si de cultu à nobis, immò à Spiritu sancto veris sanctis concesso intelligit, concedimus: Sin verò ad prodigiosam σκελετολατρείαν Pontificiorum (quod verba propemodum innuere videntur) digitum intendit, ne in æternum quidem vel ulli, utcunque* magno *aut* maximo *astipulabimur.*

V. Prudentium, *qui hoc dicit*, se eo in loco, ubi sepultus erat S. Hippolytus, Novati antagonista, stratum sæpius orasse, & exauditum esse: Hic *inquit*, Iesuvvi-

ſuvvita, notandum; oravit ſtratus, id eſt, religioſè & devotâ animi ſubjectione. *Ad quem locum reſpondeo, præſentia* Prudentij *verba pro* Bellarmino *parum facere; quippè ſuo adhuc modo tolerabilia; cum non ſequatur: Oravit ad ſepulchrum Hippolyti ſtratus: Ergò Hippolytum denatum adoravit: Sed ea, quæ immediatè ſequuntur, ſive pro Poëtici ſtyli libertate, ſive ex animi ſententia à* Prudentio *ſcripta ſunt,* Prudentium *in laudibus Hyppoliti nimium eſſe, atq; ita authoritatem eius hoc in negotio parum nobis probari evincunt, quandò addit:* Chriſtum dediſſe mortuo Hippolyto, quod quis poſtulet annuere, *quod quomodo cum teſtimonio Eſaiæ,* Abraham neſcivit nos, Iſrael ignoravit nos; tu Domine Pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum, &c. *conveniat, ipſe viderit.* Eſaiæ 94. verſ. 16.

VI. Paulinum, *in cuius verſibus citatis prioribus quidem* ὑπερβολὴν *Poëticam nemo non agnoſcit, quandò* S. Felicem Deum *nominat; poſteriores ad complendam ſaltem paginam, non verò vt noſtræ ſententiæ ægrè faceret, adſcripſiſſe* Jeſuvi-

tam, *sensus, quem produnt, manifestè ostendit.*

VII. Hieronymum, *ex quo prolata prior sententia nihil ad nos, modò ne sancti ordinarium cultus Dei medium constituantur; alioqui enim & nos Deum in sanctis honorandum superius scientes diximus: Posterior Rhetorica quædam ἀποσροφὴ est ad probanda fidei dogmata parùm valida. Quod de eadem Paula attexit, illi fundamento arrogantiæ, quod jam antè evertimus, superstructum est,* superiores *videlicet* civiliter non colere inferiores.

IIX. Augustinum, *& illum quidem non uno in loco. Primus sub* Augustini *nomine citatus locus non est* Augustini, *cum pleriq; de sanctis habiti sermones inter adulterina &* Augustino *supposita scripta, referantur; posteriores aliud propemodùm nihil probant, quàm sanctos esse colendos; quod sano sensu nos minimè repudiare, ad nauseam usq; repetivimus.*

Non possumus autem non fateri, jam tùm Augustini *tempore mortuorum circa Eucharistiam nimiam quodammodò factam esse mentionem. Hinc fit, ut & illud non semel* Augustin: *concludere videatur:* mor-

tuos aliquid juvare viventes; *quod quia sine scriptura prolatum est, veritati fraudi esse non potest. Et ipse* Augustin; *adeò insolens non est, ut sua scripta per omnia authentica esse velit, quod cum aliunde, tùm præcipuè ex libris Retractationum luculenter apparet. Vide Chemnitium in oratione de Lectione Patrum.*

IX. Gregorium, *cujus historiolã, sive ea talis sit, sive non sit, utpotè causæ nostræ nihil derogantẽ, suo loco relinquimus, scientes, non ex apparitionib. aut visionibus, sed Prophetico & Apostolico sermone dogmata fidei unicè esse stabilienda.*

X. Bernhardum, *quem, uti multis in doctrinæ capitib. communi tunc temporis errore à veritate deviantem, ad* Basilium, Ambrosium, *& reliquos ejusdem, circa præsens negotium, farinæ rejicimus.*

Quintũ pro ἀποθεώσει sanctorũ Argumentũ petit Adversarius ex templis, festis, votis, peregrinationib. imaginibus, & alijs sanctorum cultui destinatis religiosis rebus; *Ergò concludit*, quia sc. hæc oculis observantur, & servari debemus, cultus aliquis est religiosus, sanctis competens.

5.

Respondeo, committi in hoc argumento fallaciam plurium Interrogationum, & petitionis principij. Cum enim quæstio sit, juréne an injuria Sancti templis, festis, votis, peregrinationibus, imaginibus, alijsq; modis colantur, idq; à nobis negetur; quasi ex utraq; parte jam præsuppositum & ad probandam thesin Medium satis idoneum ridicula quadam ἀδολεσχία idipsum Jesuvvita *contra nos inferre non veretur. Quod si harũ cultus specierum rationem à* Roberto *ulterius quæramus, & cur ad certa loca auxilij impetrandi gratia excurrendum, certis imaginibus hoc vel illud vovendum sit, certiores reddi velimus, non parum procul dubio præsidij collocabit in miraculis eò locorum, ubi sancti culti sint, editis; quæ miracula alibi etjam Adversarius* Romanocatholicæ Ecclesiæ notam & genuinam tesseram *constituit, lib. 4. de Ecclesia militante cap. 14. parag. 11.*

Miracula non Ecclesiæ nota infallibilis.

Nos verò eam, vt spuriam, fictam & adulterinam, immò vt verum Antichristi symbolum meritò respuimus. Miracula enim, *inquit lumen illud* Aphricanæ Ecclesiæ

cleſiæ, neceſſaria erant, ut crederet mundus, ſed qui nunc quærit miraculum, poſtquàm credidit mundus, magnum eſt ipſe prodigium. *Auguſtinus lib. 22. de civit. Dei cap. 8.*

Sextum Roberti *fundamentum ita habet:* Ethnici, Judæi, hæretici, accuſarunt Chriſtianos idololatriæ. Ergò, hi ſanctos religiosè coluerunt. *Reſp. Nulla hic prorſus cenſequentia, priuſquam cultum religioſum ſanctis competere, firmiter* Bellarminus *evicerit; Tùm enim, & quidem adhuc languidè ſatis, hoc forſan inferreretur, ex eo, quod ultra civilem reverentiam ſanctis aliquid à Chriſtianis attribui viderunt gentiles, occaſionem quodammodò ſumpſiſſe, idololatriam Chriſtianis imputandi.* 6.

Prætereà an non ſatis apertè teſtati ſunt puriores Patres à gentilibus non tantum ſibi injuriam fieri; ſed ſe religioſo cultu ne quidem ſanctos proſequi? omninò certè: Talia enim erant illa, quæ ex Juſtino, Epiphanio, Cyrillo, Alexandrino, & Tertulliano, *Patribus longè famoſiſſimis ſuperius produci audivimus. Et quæ obſecrò*

vesania est ex hereticorum & gentilium cavillationibus fidei dogmata astruere, qui probandi modus Apostolis & antiquis Ecclesiæ luminibus prorsus fuit ignotus? Sed nil miremur has Iesuvvitæ *ineptias, cum in tantũ etjam hujus* Roberti *gregales insanire videamus, ut in obtinendis, fidei mysterijs* Idiotismos & dicteria *vulgi in subsidium vocent, ijsq; suam sententiam defendere satagant. vide muricesGretseri.*

7. *Septimum fundamentum* ex ratione, *ut* Iesuvvita *loquitur, desumptum, est hujusmodi:* Si honor civilis debetur civili virtuti, sapientiæ, potentiæ, & nobilitati; Sancti, qui excellunt quoad virtutes supernaturales, utpotè divina caritate, sapientia, potestate, nobilitate, meritò, jurequè optimo, religioso cultu prosequendi sunt. At verum prius. Ergò & posterius.

Respondemus, Majorem itidem peccare παρὰ τὸ ἐπόμενον; *idquè exinde, quod nihil aliud, quam eam, quæ anteà, utpotè in sese falsissima, destructa est, hypothesin offert, excellentiæ videlicet conditionem certam cultus speciem secum trahere; quod*

nos

nostam diu negabimus & pernegabimus, quãdiu è scripturis fundaminis loco à Roberto *nihil proferri poterit. Et sanè analogia illa à civili honore ad cultum religiosum nulla est: Is enim sua in quarto præcepto, itemq; in capite 13. Epistolæ ad Romanos, & alibi, fundamenta habet: pro hoc ne unicus quidem scripturæ apex militat.*

Postremò sic ratiocinatur Adversarius: 8.
Deus sanctis gloriam & honorem promisit; Jam mortuis non competit civilis, sed religiosus honor. Ergó &c. *Respondeo plus inferri in consequente, quàm habet antecedens:* Deus *Sanctis promisit honorem; Ergo religiosum; quod est* ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. *Deinde in dictis prolatis confunduntur quæstiones diversæ: Illa. loquuntur de honore & gloria, quo DEus sanctos ex gratuita misericordia afficit, donans eisdem vitam æternam; hic vero de honore, quo à reliquis viventibus ornandi sint, est quæstio. Thesis illa Roberti, mortuos non nisi religiosè coli, superius est incisa, nisi fortè in termino* (religiosè) *ludere* Iesuvitæ *allubescat, quem mollius quodammodò interpretari posse, ipsi minimè diffitemur.*

Hæc sunt, quæ in causa satis ardua pro Romanocatholica *sententia* de cultu quodam minori, quàm is est, quo Deus colitur; & majori quam civili *(religioso tamen, & sanctis competente)* Bellarminus *afferre potuit; quæ, utrum sufficienter discussa sint, nec ne, judicium Ecclesiæ permittimus. Referri quidem huc poterant ea, quæ pro totius Sacramenti Eucharistiæ, imaginum, & reliquiarum adoratione, itidem à Jesuvitis, novæ Romanæ fidei interpolatoribus, afferuntur: Sed quià in præcedentibus præcipua istius erroris fundamenta dejecta esse speramus, ne nimiùm excrescant paginæ, hoc in loco eorum ἀνασκευὴν lubentes relinquimus.*

De Invocatione Christi Hominis contra Calvinianos.

De *Sacramentarijs*, novis Nestorianis *nunc videndum est, qui ex adverso in defectu peccant, illud, quod scripturâ duce, religiosæ ἐντεύξεως objectum est, respuentes, immò mille convitijs conspurcantes*; carnem nimirum Filij Dei in unitatem Personæ τῦ λόγυ assumtam, & per ac propter unionem cum natura divina adorabilem.

Vt autem propius ad rem accedamus, primò

primò nostram utpotè veriorem sententiam hoc de negotio afferemus; deinde verò hostium adorationis Christi erroneam opinionem παραλλήλως apponemus; tandemq; quibus sese præsidijs tueantur, quomodoq; ex ijsdem dejiciantur Sacramentarij, brevissimè aperiemus.

Orthodoxa sententia de adoratione carnis Christi.

Quoties igitur de Carne Christi Salvatoris nostri, eam nimirum adorandam esse, loquimur; eo ipso veritatẽ humanæ naturæ in personæ τῦ λόγυ, vt quidem criminantur Adversarij, minimè tollimus. Neque enim dicimus, Naturam Christi humanam, in quantum ea suæ essentiæ finitate terminatur, & divinæ τῦ λόγυ naturæ, tanquam creatum creatori, finitum infinito opponitur, in se & simpliciter esse adorabilem, quippè qui, nemine cogente, agnoscimus, cultum adorationis esse soli Deo proprium, neq; ulli nisi verè divinæ atq; infinitæ virtuti competere posse, secundum illud: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, *Matth. 4. v. 10.* vt ità convertibilia omninò sint, adorabilem esse & divinum esse, siquidem eum, qui adoratur, omniscium, omnipotentem, immò &

Adorabile esse & divinum esse sunt ἀντιστρέφοντα.

καρδιογνώσην esse oportet, ut preces nostras audire, nobisq; manus auxiliatrices ferre queat.

Respicimus autem in hac nostra assertione perpetuò ad unionem Christi hominis cum λόγῳ, ejusq; sessionem ad dexteram Patris, per & propter quam Christus quà homo, jam non tantum finitis, creatis & habitualibus donis; sed infinitis, increatis, ac verè divinis ità ornatus ἰδιώμασι est, ut caro Christi per & propter unionem verè sit vivifica, ipseq; quà etjam homo est, omnipotens, omniscius, omnipræsens, & adorabilis credendus: cujus nostræ Thesis fundamenta ex armamentario sacrarum literarum habemus talia, adversus quæ ne unquam quidem portas inferorum prævalere posse persuasi sumus.

Per unionem Christo Homini increata divina & infinita dona communicata sunt.

I. Initio enim cum Caro Christi seorsim extra λόγον nullibi subsistat, nec singularem existentiã habeat, sed persona τῦ λόγυ Naturæ quoq; humanæ ità sit communis, ut in Christo πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητ@ σωματικῶς habitare dicatur, Coloss. 2. versic. 9. quomodò divinam naturam τῦ λόγυ (ab ejusdem persona non nisi ratione differentem)

tem) adorabilem & verè adorationis objectum dicemus, nisi idem quoq; humanæ naturæ in ipsam τῦ λόγυ ὑποστασιν assumtæ, attribuamus?

II. Præterea Pauli testimonium orthodoxam hanc sententiam longè clarius astruit, quo dicitur Christo nomen datum, quod est supra omne nomen, cui genua flectere teneantur cœlestes, terrestres & infernales, *Philip. 2. v. 9. & 10.* idq; nomen, ejusq; modò assignatam dignitatem Christo Homini competere, solidissimè evincit vox ἐχαρίσατο, quæ idem sonat, quasi ex gratia datum est; quomodò secundum divinitatem Christo aliquid dari posse, nemo nisi Arianus dixerit. Et nota est regula antiqua Leonis; quæ Christo ex gratia & in tempore data sunt, non secundum divinitatem, sed quatenus homo est, data sunt.

Ex gratia & in tempore divinæ Christi naturæ dari nihil potest.

III. His adde reliqua scripturæ testimonia, qualia sunt: Adorabunt illum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei; coram illo incurvabuntur habitatores deserti

deserti &c. *Psal. 72. v. 11 quod dictum de* Christo, *qua Homo futurus erat, loqui, cum de adoratione futura sermo sit, est planissimum.* *Sic quid clarius ad stabiliendam adorationem humanæ in Christo naturæ afferri potest, quàm quod* Daniel *dicit*: *se* thronis positis vidisse in nubibus cœli quendam quasi filium hominis usque ad Antiquum dierum pervenientem, cui sit data potestas, honor & regnum, omniumq; populorum, tribuum, & linguarum servitium, *Dan. 7. v. 13. quo in loco expressè Filij hominis fit mentio.*

IV. *Adjice item exempla in Novo Testamento passim annotata, quæ* Christum *hominem in terris visibiliter conversantem adoratum esse ostendunt. Matth. 14. v. 33.* adoratur à discipulis in navi, *Matth. 17. v. 14.* adoratur à Patre Lunatici, *Act. 1. v. 24. ab ijs, qui erant αὐτόπται ascensionis in cœlum glorioſissimæ.*

V. *Tandem accedit Orthodoxorum Patrum consensus unanimis, non omninò contemnendus, è quibus unicum saltem & alterum afferimus testimonium.* Chrysostomus;

ſtomus; Magnum, *inquit*, & admirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtrã ſurſum ſedere, & adorari ab Angelis, *Hom. 5. in 2. cap. ad Ebræos.*

Similiter loquitur Auguſtinus: Ego perfectam in Chriſto humanitatem ideò adoro, quod à divinitate ſuſcepta & Deitati unita eſt, ut non alium & alium; ſed unum eundemq; Deum & hominem, Filium Dei eſſe confitear: Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, illi ego nunquam credo vel ſervio, *Serm. 18. de verb. Dom. in hap. 4 Johannis. Reliqua quæ apud alios etjam ubertim reperiuntur, quilibet proprio ſtudio addat.*

Sacramentariorum de adoratione carnis Chriſti ſententia.

Longè alia autem hac in parte doctrinæ Sacramentariorum *eſt confeſsio, qui toto, quod dicitur, cælo, à nobis diſſentiunt. Etjamſi enim inter illos reperiuntur, qui ſcribunt* totum Chriſtum eſſe adorandum; *immò, qui hoc etjam norunt, eum,* qui Chriſti carnem in unitatem perſonæ à λόγῳ aſſumtam nullo modo adorandam aut adorabilem eſſe cenſet, ad Neſtorianos defeciſſe (*ſunt Danæi verba contra Iacobum Andreæ in aſſertione, quod huma-*

humana natura ex unione non evaserit Deus) Sic tamen hanc suam propositionem postmodùm declarant atq; explicant, ut putamina saltèm nuda, nucleo suppresso atq; attrito, relinquant, lectoris q; oculis & animo sepiam offundant.

Sacramentarij inter se circa præsens negotium non conveniunt.

In duas verò classes rectissimè Calvinianos, *nec inter se etjam in hoc negotio consentientes, dispescere poterimus.*

Priores ij sunt, qui quantumvis de toto Christo *in adoratione religiosa aliquid deblaterant,* totum *tamen* Christi *adorandum esse propalàm negant, sicquè naturæ humanæ verè & realiter cultum hunc competere, eamquè religiosæ adorationis objectum esse sine* Eutychiana *naturarum confusione statui non posse asseverant.*

Verba Danæi *sunt hæc:* Nostra sententia brevibus explicata ita est: Totum quidem Christum à nobis adorari & invocari, Personam Christi (quæ unica est ex utraque natura constans) dividamus, seu separemus: non autem in Totum CHRISTI adorationem & invo-

invocationem propriè dirigi, ne naturas, quæ in ea unione inconfusæ manent, confundamus, aut humanam divinæ exæquemus.

Nostra enim illa & adoratio & invocatio propriè & per se neque fertur, neque dirigitur in ipsam Christi carnem, seu naturam humanam; sed in ipsam Christi deitatem, non quidem, quæ subsistat seorsim & separatim, extra naturam humanam assumtam (quod sensit Nestorius, & Cyrillus in anathematismis refutavit) sed quæ cum eadem assumta natura in una persona semper conuncta & copulata maneat. *Cap. 29. Examinis. Et paulò post:* In summa, *inquit*, dum Christum adoramus & invocamus, ad ipsam Christi carnem, etjam in illa unione manentem, propriè & per se non dirigitur nostra illa invocatio & adoratio.

NB. Danæus Deum adorat sine carne carni unitum.

NB.

Idem alibi in assertione adversus Schmidelinum: Nulla verò, *inquit*, carnis aut humanæ naturæ cogitatio necessaria,

cessaria, imò prorsus est removenda, ad religiosam Dei divinæq; naturæ etjam in Christo adorationem, quoniam hic honos soli Deo debetur. *Deut. 6. Matth. 4. fol. 38.*

Atq; hinc fit, vt etjam consuetudinem Christianorum ad prolationem nominis Christi *caput aperientium, aut genu flectentium pro deridiculo habeant:* Plusquàm ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, *ait* Calvinus *alicubi*, qui ex præsenti loco colligunt, genu flectendum esse, quoties nomen Iesu pronunciatur, quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam; *In Comment. super cap. 2. Epist. ad Philippenses. Interim tamen, si secularis Principis*, Calvinianæ *nimirum sectæ asseclæ, nomen audiatur, caput sæpiusculè denudant, plus scilicet honoris se illi, quàm Christo ad dexteram Dei sedenti, conferre, toti mundo hoc ipso probantes.*

Altera Sacramentariorum *classis illos continet, qui quoties Christum, quà homo est, adorandum satis trepidè enunciant, in actu adorationis aliquid discriminis quæ-*

quærunt, ità nimirum, vt naturam divinã honore divino, naturam verò humanam remißiori cultu, qui tamen religioſus eſt, ſiquidem de eo unicè hic loquimur, proſequendam doceant.

Hanc ſententiam hyperaſpiſtes ille Sadeëliticus Matthias Martinius, *novâ Jeſuvviticæ inter* λατρείαν *&* δουλείαν *diſtinctionis imitatione, in ſcriptis ſuis invehere* è Calvinianis *primus, quod ſciam, omninò conatus eſt. Nam ſi ex eodem quæras; ſitne caro Chriſti, ſeu* Chriſtus homo *religioſè adorandus? affirmativè reſpondet; non politica & civili, ſed* verè religioſa, & quæ ſine ſcelere gravis blaſphemiæ nulli creaturæ poſsit exhiberi, veneratione eam eſſe proſequendam, *In objectionibus adverſus Menzerum, pag. 84. Quin & alibi aſſerit*, ſe fiduciam collocare in carne Chriſti, quod ab ea exaudiatur. *In ſpicis ſpica, 129. 130. Et alibi*: Graviſsima, *ait*, blaſphemia eſſet, illa ulli creaturæ alij tribuere, quæ tribuimus humanæ naturæ Chriſti. *In Notis ad methodum fol. 445. Si inſtes* eademne *ergò ſit* adoratio carnis & λόγου? *continuò loco modò citato*

Nova ſententia Matthiæ Martinij Calviniſtæ de adoratione carnis Chriſti.

responsionem hanc addit: Qui negant (*scilicet è Calvinianis*) carnem Christi adorandam esse, hoc volunt, non esse carnem eo modo adorandam, quo dicimus Deitatem adorari debere. *Et paulò post:* Qui sic carnem Christi (*ut Deitatem scilicet*) in unione adorabit, eam faciet Deitatem; à quo blasphemia, ipsa caro Christi quàm maximè abhorret. *Summatim sententia* Martinij est; Deus est adorandus; religiosè uterq;: sed Christus, quà Deus est, sic invocari debet, ut credas ab eodem omnia, quæ vult, posse secundum infinitam omnipotentiam, quam ab æterno habet, tibi concedi; ab humanitate autè Christi jubet adorando ea petere, quæ ipsius est dare.

Cæterum monstrosa hæc Herbornensis Professoris *opinio unionem duarum in Christo Naturam personalem dilacerans, fideiq; unitatem convellens, jamdudum ab antiquissimis Patribus prævisa, & unanimi calculo rejecta deprehenditur, cujus rei evidens documentum est* octavus Cyrilli anathematismus, Nestorio *oppositus; quem in* Martinij *gratiam plenè ad scribere non*

re non pigebit. Est autem talis ille: Si quis audet dicere, assumtum Hominem coadorari cum *Deo* verbo oportere, & glorificari, & connuncupari Deum, tanquàm alterũ cum altero *(Nam Consyllaba superadjecta hoc cogit intelligi)* ac non potius una adoratione veneratur Immanuelem, unamq; ei glorificationem *(notet hoc Martinius)* dependit juxta quod verbum caro factum est, anathema sit. NB.

Et sanè quoad stabit fundamentũ illud, superius quando cum Iesuvvita Bellarmino *agebamus, appositum, quo unam saltem objecti ratione religiosam adorationem, non verò diversas esse diximus, & adhuc profitemur, nihil quicquam ne in æternum* Martinius *proficiet. Quicquid enim de cultu religioso proferat, Christo Homini competenti, qui non idem sit, cum eo, quo Christus Deus colitur, nugas esse aniles & Nestorij blasphemias ab arco revocatas, cordati quiq; facilè agnoscent.*

Illorum nunc fundamenta, qui in adoratione Christi humanam naturam à cultu hoc religioso omninò secludunt, viden-

da sunt, quæ cum Lambertus Danæus *cap. 29 Examinis libri eruditissimi* D. Chemnitij *de unione duarum Naturarum hypostaticâ, mediocri numero congesserit, dictum caput paucis perstringemus.*

Examen Argumentorum Lamberti Danæi contra adorationem Christi. I.

Primum Argumentum contra adorationem Christi hominis Danæus *depromit ex cap. 17.* Jeremiæ *v. 5. ubi* vir ille, qui fiduciam habet in homine, & carnem statuit brachium suum maledictus *dicitur; unde sic ratiocinatur* Calvinista: Christi caro est vera caro: At adorans carnem Christi religiosè in eam fiduciam habet. Ergò in vera carne & vero homine fiduciam habet, hocq; nomine ei à Propheta anathema dicitur.

Respondeo, committi in argumento Sophisma non unum tantum, sed diversa, quæ paucis enumerabimus. 1. Est παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. *Cum enim carnem Christi adorabilem esse, & veræ adorationis objectum statuimus, fallitur & fallit* Calvinista, *quod causam huius cultus à carne, quà caro est, & Christo homine, quatenus talis est, inq; suæ essentiæ finitate consideratur, profluere existimat, cum ex innumeris*

meris nostrorum Theologorum scriptis adravim usq; inculcatum sit; solam unionem personalem, ex qua caro Christi à nonnullis antiquissimorũ Patrũ σὰρξ ἀπο θεωθήσα. seu τεθεωμένη nuncupatur, hujus carnis Christi adorationem constituere, sicq; longè diversum esse, carnem adorare, & asserere principium seu causam adorationis à carne & nudo homine promanare; quorum prius nostrum est, posterius per sophisma causæ, vt diximus, non causæ Adversarius nobis affingit.

Caro Christi est objectum adorationis, sed per se non est causa adorationis. siquidem illud habet ex unione.

II. Inest & argumento proposito ἀγνοια τῦ ἐλέγχ, id quod scopus Prophetæ ab intentione Adversarij diversissimus luculenter commonstrat. Si enim consilium Jeremiæ Danæus ex prælectionibus saltem Magistri sui Johannis Calvini, penitiùs introspexerit, malitiam Judæorum à vero Deo ad Assyriorum, Ægyptiorum, aliorumq; gentium viciniorum opem, postHabitis promissionibus divinis, non rarò confugientium, Prophetam reprehendere, hujusq; intolerabilis omnino excessus causa ijsdem maledictionem denunciare, fateri cogetur; quæ justa reprehensio quid quæso

ad adorationem Salvatoris mundi facit, qua ità quidem veræ fiduciæ in Deum vis non infertur, ut potiùs Deus incarnatus & nostri causa homo factus laudetur; illiq, cui ex sententia Apostoli nomen adorabile *supra omne nomen datũ est, debita* gloria, debitusq; honos conferatur.

3. Laborat Argumentum prolatum fallaciâ figuræ dictionis. Cum enim in homine fidendum non esse Propheta ex sententia Dei verissimè asserit, de nudo homine, ex mortali semine concepto, & in peccatis genito, multisquè alijs imbecillitatibus, & ipsi denique morti subjecto, adeoquè de universa humana fragilitate agit, id quod vox carnis, ἐξηγήσεως loco subjecta, sufficientissimè edocet, uti prædictus Danæi Magister Iohannes Calvinus *in suis super hunc Prophetam prælectionibus rectissimè observavit. Iam verò Christum hominem, sine peccato conceptum, sine omni fraude & fallacia,* Petro & Esaia *teste, in hoc mundo visibiliter versantem,* Esa. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22. *in unitatem personæ à λόγῳ Dei filio susceptum, in thronum & solium majestatis divinæ evectum, sicq,*

Vox carnis hominem cum omni sua fragilitate & infirmitate apud Ieremiam denotat.

sicq; altissimo Deo σύνθρονον factum, talem dicere, illumq; carnem, hoc quidem Prophetæ sensu, nominare, summè blasphemum & impium esse, pij Christiani cum gemitu agnoscunt, & Domino de cœlo, Jesu Nazareno, blasphemiam hujusmodi vindicandam relinquunt.

4. Vim quoq; facit Danæus *loco* Ieremiæ *per compositionis & divisionis paralogismum. Non n. in universũ eos maledictos fore Ieremias pronunciat, qui quovis modo ac oratione in hominibus, aut in hoc etjam homine Christo fiduciam suam collocant: Sed ijs cumprimis anathematis fulmen intimat, qui ità ab humana & quidem purè humana ope toti pendent, vt interim à Domino cor eorum recedat, quæ verba plenum citati dicti contextum omnino sibi vendicare præpositio copulativa satis clarè ostendit. Quis jam mortalium est, qui asserendo Christum hominem adorandum esse, cor suum à Deo fiduciaq; in Deum retrahat? aut surdine adeò sunt αὐτοκαλάκριτοι isti χρισόμαχοι vt nos toties hujus adorationis carnis Christi*

Adorando carnem Christi à fiducia in Deum collocando non recedimus.

causam à Deo, & quidem à persona filij Dei dependere, sicq; nos adorando humanam Christi naturam, à cultu Deo debito minimè recedere, sonora voce proclamantes non audiant? quod quandiu faciunt, præsentemq; Prophetæ textum modo commonstrato mutilant veritati & causæ nostræ parùm aut nihil officiunt.

ii. Secunda Danæi ratio ex cap. 4. Epistolæ Pauli ad Galatas mutuò sumta est, & quidem ex ijs verbis, quibus Apostolus pristinam idololatriam Galatarũ recenset, dicens eos ijs, qui naturâ non sunt Dij, olim verum Deum ignorantes, servijsse: quæ verba suo instituto Danæus ità accommodat: Qui non est naturâ Deus, non est invocandus. At caro Christi non est naturâ Deus. Ergò non est invocanda. Minoris ἔκθεσιν quandam addit, dicens; vocem Natura tantum valere, vt si vel maximè Chemnitij de reali communicatione essentialium Deitatis in naturam humanam commentum verum sit, tamen propterea, vt caro Christi adorationis objectum fiat, nunquam effici, quippè quæ gratiâ tantum, non naturâ Deus credenda esset.

Ad

Ad hujus Syllogismi Majorem respondeo; primò illam laborare insufficienti enumeratione conditionum, quæ requiruntur, vt aliquid sit adorabile vel non adorabile; estq; hoc modo supplenda: Quicquid non est naturâ Deus, aut Deo personaliter unitum, non est adorandum; quomodò si formata Major fuerit, jam Minorem apertè falsam fore quivis videt.

2. Vis etjam argumenti Danæani *scopum & mentem Apostoli non assequitur. Vult enim hoc dicere Apostolus; Galatas idololatriæ ità quondam immersos fuisse, vt non tantùm eos, qui natura Dij non erant, sed qui & extra Deum constituti, & mutæ simulachra, ab hominibus fabricata, aut nudæ creaturæ fuerunt, veri Dei loco coluerint: quod omninò ἀπαιδεύτως, & per stupendam diversarum quæstionum confusionem humanæ Christi naturæ in Deo sublimatæ accommodari, constanter asserimus.*

Deniq; si verba Apostoli preßius aspiciamus, hoc important, Galatas *eos invocasse, qui* verè non erant *Dij, sed putativi saltem, quibus vox* (natura) *oppositæ*

Naturâ Dij idem Apostolo est, quod verè Dij.

apparet. Iam verò, quià unio personalis duarum in Christo naturarum hoc effecit, vt quod ex Maria nascitur, filius Dei verè omninò nominetur, Davidisq; germen Iehovah verè dicatur, *quis non videt, voculas has* (naturâ Dij, *idem quod* verè Dij denotantes) Christo homini *in unam cum* λόγῳ *personarum convenienti citra insignem impietatem opponi non posse.*

Ad inanem illam communis Adversarij ἔνθεσιν *quod attinet, vocula illa* (natura) *sic, vt dixi, accepta, omne, quod in eadem collocaverat* Danæus, *præsidium funditùs subversum est. Malitiam illam in carpendo Chemnitio, & ejusdem vera de* λόγῳ *ejusdemquè idiomatum carni Christi factâ communicatione doctrina, authori cum adjuncto crimine falsi remittimus, qui ex Chemnitij scriptis essentialia Deitatis seu ipsam divinam essentiam omnibus tribus divinitatis personis ex æquo communem carni communicatam esse, nunquam ostendit, cum ne nos interim quidem, præeunte ipso Chemnitio, negemus, secundam divinitatis personam*

Essentia divina carni immediatè non est communicata aut unita, sed

ſonam ſe totam cum omnibus ſuis ἰδιώμασι, quinimmò πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, *vt Apoſtolus loquitur*, σωματικῶς, *hoc eſt perſonaliter, verè & realiter humanæ naturæ communicaſſe.* perſona divinitatis ſecunda inquè ea omnis plenitudo Deitatis.

Tertium Adverſarij argumentum ex Apocalypſi deſumtum eſt, vbi, cum Johannes ad pedes Angeli prolapſus eſſet, à religioſa Angeli adoratione his verbis abſtrahitur: vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium IESU. *Apocal. 19. verſic. 10. cap. 22. verſ. 9. Ex quo dicto ſic infert:* Conſervi & fratres non ſunt adorandi. At Chriſtus, quà homo, eſt conſervus, & frater noſter. Ergò. III.

Reſpondeo ad Minorem, illam laborare partim paralogiſmo à dicti ſecundum quid ad dictum ſimpliciter; partim, verò petitione principij. Conſideratur enim Chriſtus Homo, *vel vt purus homo, ſecundum eſſentiæ ſuæ finitatem, quo quidem reſpectu frater noſter omninò eſt, & carnem de carne noſtra ſemel aſſumtam,* Chriſtus & frater

in

& Dominus noster est, diverso respectu.

in æternum non deponit: vel alio etjam modo Christum hominem contemplamur, quatenus nimirùm in Persona τῦ λόγυ subsistit, & gloriæ divinæ per unionem personalem & sessionem ad dexteram Dei verè particeps factus est, secundum quam considerationem non frater noster tantùm, sed & Dominus omniũ omninò Creaturarum rationalium & irrationalium est, sedens in cœlestibus, implens omnia, omnibusq; creaturis, ipsisq; adeò Angelis potentissimè imperans, ut scriptura passim, præcipuè verò in Psalmo 110. v. 2. Ephes. 4. v. 10. Psal. 8. Ebr. 2. v. 8. &c. testatur.

Porrò in duplici omninò statu, humiliationis scilicet & exaltationis Christi curriculum considerandum venit. In priori quidem etsi gloriam, sibi in unione personali communicatam, propter opus redemptionis aliquandò occultavit, seq; nostri causa, factus obediens ad mortem usq; crucis, ad tempus exinanivit; adeò tamen actu personali, & sine respectu ad officium Mediatoris, tunc etjam, quatenus homo est, conservus noster dici non potuit, ut in profundissimo quoq; exinanitionis gradu verè

Christus in profundissima exinanitione

verè Rex, Dominus, & Magister noster manserit; quod & ipse discipulis suis pedes lavans dilucidè edisserit, Joh. 13. v. 13. *In posteriori statu, cum jam omnis exinanitio, formaq; servilis tempore usq; sepulturæ jamdudum exulare jussa sit, quicquid de servili, etiamnum Christo homini adhærente, conditione* Danæus *nugatur, meras blasphemias per fidei analogiam nominare, & adversarium diversissimos hosce & realissimos respectus oscitanter confundentem, σοφίσμασι prænominatis falli & fallere, dicere cogimur.*

non est servus noster, sed Rex & Dominus est.

Quartò sic quoq; insurgit Danæus: Solus DEus est adorandus. Caro Christi non est Deus. Ergò.

IV.

Respondeo ad Majorem, distinguendo inter causam & objectũ adorationis. Priori ratione valet illatio; solus namq; Deus causa est adorabilitatis, hoc est, adoratio non competit illi, qui non aut Deus est, aut divinis virtutibus & donis ornatus, quorum causa invocandus sit. Posterius si assumit Adversarius, principium petit, dum illud, quod in controversia est, hypotheseos loco supponit, quæstionem nimirum;

Posit-

Posſitne caro Christi in Deum evecta adorationis religioſæ objectum propter unionem perſonalem conſtituere. Sic ergò Syllogiſmus omninò corrigi debet : Solus Deus ex ſe & ſua natura eſt adorandus. At caro Christi ex ſe & ſua natura non eſt Deus, Ergo neq; ex ſe, ſuaq; natura eſt adorabilis ; *cui argumentationi nos quoq; omninò ſubſcribimus.*

v. *Quinta ratio* Danæi *contra honorem* Ieſu Nazareni *prolata talis eſt :* Invocans creaturam cultu religioſo eſt *in* Deum blaſphemus : Caro autem Christi etjam glorificata & in unione perſonæ manens eſt creatura. Ergò, qui eam adorat, *Deum* blaſphemat.

Reſpondeo 1. ad Majorem : Invocans creaturam, ità vt eandem ex ſe & in ſe cauſam invocationis eſſe ſtatuat, is in Deum blaſphemus eſt : Qui autem noſtrũ hactenus illud aſſeruerit, aut per fidei integritatem à quoquam defendi poſſe exiſtimaverit, repertus non eſt ; quod quidã videt Danæus, *& tamen cum hac ſententia laboriosè manus committit, Andabatarum more cum larvis ipſum ludari neminì dubium eſſe poteſt.* Secun-

Secundò in Minori est τὸ ἐπιπλὲς. Sicuti enim verum esse non diffitemur, unionem personalem carnis veritatem non tollere : Sed Christum hominem in unione & post eandem in omnem usq; æternitatem creaturam manere ; ità econtrà plura de eodem, quàm quæ nudæ creaturæ competunt, per unionis gratiam verè dici non posse, statuere, nihil aliud esse, quàm unionem personalem evacuare, & naturarum, proprietatumquè in eadem unione veram, realemquè κοινωνίαν tollere, fateri omninò cogimur.

Sextum pro sua opinione fulcienda VI.
fundamentum desumit Danæus *ex cap. 9. Epistolæ ad Romanos, ex quo ità concludit :* Secundum quam naturam Paulus in loco citato Christum dicit adorandum, secundum eam adorari solummodò debet. At Paulus dicens Christũ esse adorandum, explicat, cuius naturæ ratione id illi sit tribuendum, appellans eum Deum. Ergo quà *Deus*, non quà homo Christus est adorandus.

Respondeo 1. procedere argumentationem

nem à particulari. Neq; enim sequitur, uno in loco Paulus dicit, Christum, quà Deus est, adorandum esse; ideoq; humanam naturam à religiosa adoratione alijs in locis excludit, cùm diversæ hæ assertiones, Deum nimirum & Hominem Deo personaliter unitum adorari, sese mutuò non tollant, aut ut contradicentia, quorum altero posito, alterum negari oporteat, habeant. Proinde Major sic informanda erat: ubicunq; locorum Paulus Christum adorari debere asserit, ad divinam naturam cultum adorationis religiosum solummodò restringit; quam tùm falsissimã esse, ex cap. 2. ad Philippenses v. 9. & 10. manifestè apparet; in quo Christo ex gratia, atq; ita ut Homini, nomen suprà omne nomen, & illud quidem adorabile, donatum esse Apostolus propalàm asseverat.

Deinde inest & Syllogismo σόφισμα ἑτεροζητήσεως. Allegato namq; loco Paulus ἀξιώματα & præeminentiam populi Judaici præ reliquis gentibus recensens, Christum secundum carnem è Iudæorum patribus progenitum dicit, qua quidem occasione si-

ne simul, qualis hic Christus fuerit, enarrat, videlicet; non nudus homo, sed Gigas geminæ substantiæ; *Homo & Deus simul* εὐλογητὸς εἰς τὸς αἰῶνας. *Iam verò quærere, qualis sit Christus, ex duabus, ijsq; diversissimis naturis, Divina scilicet & Humana constans, & quid humana natura ex personali unione & sessione ad dexteram Dei consecuta sit, diversissimas quæstiones esse; quarum quidem priorem Paulus pertractat, posterior inter nos & adversarium controversa est, nemo non videt. Has igitur dum Danæus confundit, & textum Apostolicam per dictum σόφισμα statui controversiæ præsenti imperitè admiscet, omnium cordatorum, verba & scopum Apostoli accuratiùs considerantium, judicio, nostræ sententiæ parùm nocebit.*

VII. *Septima* Danæi *ratio contra adorationem carnis Christi prolata, extat apud Esaiam cap. 42. v. 8. in his verbis:* Ego Iehovah, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus &c. *hinc ità colligit* Calvinista: Quicquid non est Deus, illi gloria divina, & quidem in specie adoratio re-

ligiosa non est offerenda At caro seu humana Christi natura est Deus. Ergò gloria hæc Deo cõpetens illi non est danda.

Idem prorsus est argumentum hoc cum quarto, unde & solutio huic raticionationi diluendæ omninò sufficiens desumi debet. Hoc saltem instantiæ loco, ut novorum Nestorianorum *Christum dissolvendi puritas dilucidius appareat, hic addo: Si dictum hoc:* gloriam meam alteri non dabo, *Christo Homini realẽ divinorũ attributorũ, communionẽ detrahit neq; in λόγῳ natura Christi humana subsistet, quippè cujus ὑπόστασις æquè est divina, quàm & patris & filij, adeoq; gloria divina insimul dignissima. At verùm prius, ex sententia quidem Danæi. Verum ergò & posterius. Pergo; si ὑπόστασις λόγε, quæ divina est, & gloria Dei soli competente digna, carni Christi non est communicata, tùm aut propriam caro habebit subsistentiam, atq; ita persona erit distincta, aut erit ἀνυπόστατος, atq; sic Christus homo esse desinet; quorum utrumque ut summè impium & blasphemum cum* Apostolo Iohanne *detestamur, dicentes:* omnem Spiritum, qui solvit

solvit Iesum ex Deo non esse, & Antichristi notam gerere. *1. Ioh. 4. v. 3. quam Danæo, eiusq; complicibus quoad prædictã illationem non infregerit, abstergendam relinquimus.*

Octava Danæi *conclusio adversus religiosum adorationis cultum Christo Homini debitũ ità habet*; Qui docet Christũ, quà homo est, unà cum verbo esse adorandũ, Nestorianus est. At Chemnitius, & qui cum illo faciunt, hoc docent. Ergò. VIII.

Respondeo, Majorem turpiter in vera & genuina Nestorianismi *definitione errare. Si namq; de hæresi* Nestorij *scriptores Ecclesiasticos ejus temporis consulamus, appareret hanc primã fuisse* Nestorianismi *occasionem, quod Mariam non* θεοτόκον; *sed* χριστοτόκον *nominandã asseruit, cũ impossibile ex Nestorij, eiusq; compresbyteri Anasthasij sententia censeretur, Deum ab Homine gigni aut produci posse. Atq; ut hujus erroneæ semel conceptæ sẽtentiæ tenax fuit* Nestorius, *ità in congregata* Synodo *publicè exclamare veritus non fuit, se* bimestrem aliquẽ aut trimestrẽ Deũ non agnoscere; *qua voce de Naturarũ, proprietatumq;* Prima Nestorianismi initia.

ex unione personali promanante κατανοία. se satis abjectè sentire, sufficienter probavit. Et quanquàm posteà jussu Theodosij *in exilium deportatus, linguam corrigere velle visus fuerit, quandò nimirùm in hanc vocem prorupit:* dicatur Maria θεοτόκος, & cessent contentiones: *tamen magis declinandi exilij quàm asserendæ veritatis causâ hoc à* Nestorio *factum, omnes circumstantiæ satis ostendunt.*

I Thesibus Nestorij anathematismis Cyrilli oppositis de sententia Nestorij rectè constare potest.

Vera proinde Nestorij *sententia omniũ rectissimè è Thesibus ejusdem*, anathematismis Cyrilli *oppositis, cognosci potest, in quibus Thesi quinta sic scribit:* Si quis unum esse, post assumtionem hominis, naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emanuel, anathema sit. *Et rursus Thesi 8.* Si quis servi formam, *inquit*, pro seipso, hoc est, secundum propriæ naturæ rationem colendam esse dixerit, & non omnium Dominum, & non potiùs per societatem, quam beata & ex se naturali Domini unigeniti naturæ conjuncta est, veneratur, anathema sit. *Ex duabus Thesibus rectè introspectis, talis jam emergit Propositio Major: Qui Christum*

ſtum poſt unionem non vt unum, ſed duos, eiuſq; humanam naturam per ſocietatem ſaltem & non eodem cum divino cultu adorandam docet, is Neſtorianus eſt. *Atq; tùm Minorem non nobis, ſed* Danæo *& reliquis χεισομάχοις competere ſine omni difficultate evincere poſſemus, præcipuè cum hoc ipſo capite idē* Danæus *dicat cum* Neſtorio; *humanam* Chriſti *naturam*, per ſocietatem ſaltem cum divina quadantenus coli, qualiter corona regia, Rege adorato, cultus adorationis particeps fieri dicitur.

Atq; hæc ad Sacramentariorum dogma, quo Chriſto homini honorem debitum adimunt, reſponſa ſunto: Nunc paucis etiam tertio loco de vera forma & gemino precū modo aliquid addemus, ſicq; hunc locum communem ſecundum finiemus. De forma & modo orandi.

Statuimus igitur, ſicuti omnium bonorum operum forma, ſi Deo placere ea debeant, fides eſt; ſic quoq;, vt preces noſtræ, coram tribunali majeſtatis divinæ effuſæ, Deo placeant, & effectu certo non deſtituantur, eas in vera fide, oculos in promiſsionum divinarum veritatem defigente, & Fides forma eſt bonorum operum.

gratis propter solius Christi meritum auxilium petente esse faciendas; Deoq; offerendas, quam quidem assertionem scriptura multoties comprobat.

Priusquam tamen eam certis probationibus fulciamus & corroboremus, præmittendum venit ingens illud bonorum à Deo optimo Maximo petendorum discrimen, quo observato non uno modo pro omnium bonorum impetratione Deum interpellandum continuò apparebit. Quædam enim sunt bona corporalia seu temporalia ad fragilis hujus & brevi interituræ vitæ sustentationem pertinentia, videlicet sanitas, sustentatio, pax civilis, aliaq; hujusmodi, quæ secundū explicationem D. Lutheri *unico panis quotidiani nomine exprimuntur. Hujusmodi bonum, corporale nimirum, à Deo petebat* HISKIAS, *qui postquã sibi mortẽ instare ex ore Prophetæ Esaiæ cognoverat, prorogationem termini vitæ suæ ad quindecim annos impetravit, Esa. 38. v. 3. Leprosus ille apud* Matthæũ *pristinæ sanitatis restitutionẽ & purgationẽ à lepra expetens, Matt. 8. v. 2.* Elias *orans Deum, vt animam suam tollat, vitæq; finem faciat, 3. Reg. 19. v. 4. &c.* De

Bona quæ à Deo petuntur, nonnunquam sunt corporalia.

De his bonis temporalibus non aquè rectè mens humana perpetuò judicat, cum plurimi illud sibi sæpissimè exoptent, quod ipsis maximè noxium est, sicuti videre est in matre filiorum Zebedæi *petenti à Domino*, ut liceat filijs suis dominari in regno Christi [*quod corporale & mundanum esse ipsa sibi persuaserat*] *cujus petitionis vanitatem Salvator acerrimè reprehendit, objiciens mulieri, quod dementata falsa de regno Christi opinione*, nesciat quid petat, *Matth. 29. v. 22.*

Huic mulieri non pauci adhuc hodiè similes reperiuntur, qui tacitis atq; apertis votis sanitatẽ corporis, divitias, aut alia hujusmodi temporalia bona sibi nonnũquã expetunt, quibus tamen rectè uti nesciunt, quo fit, ut accedente abusu, bona hæc impetrata ipsis magis noceant, quam prosint: quod considerans Apostolus Paulus, nos nescire, *inquit*, quid oremus, sicut oportet, ideoq; Spiritus sancti adjutorio ad servandum delectum in ipsis bonis, quæ petimus vel maximè indigere, *Ro. 8. 26.*

Cum itaq; terrena hæc & fragilia hujus mundi elemẽta, propterea quod nos ijs minus rectè quandoq; utimur, nobis interdum

sint pernitiosa, horum quidem causa Deum invocemus, sed ità tamen, ut sequentes conditiones precibus hisce perpetuò annectamus:

Quibus conditionibus temporalia bona sint petenda.

Primò, ut ea nobis secundum suum beneplacitum, & paternam voluntatem Deus largiatur. 2. ut benignissimè nostro loco dispiciat, sitne è re nostra, bono, quod petimus, frui; sique illud petenti non profuturum prævideat, nostram intemperiem nobis condonet, & judicij defectum paternâ & clementissimâ suâ, quam pro nobis omnibus gerit, curâ clementer suppleat, hocque quod ipse velit, & è re nostra futurum existimet, liberaliter communicet.

Ad has conditiones, & quidem priorem potissimùm respicit Johannes, *cum inquit:* Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum; quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos, *1. Ioh. 5. v. 14. Posteriorem* Salomon *tacitè innuit, eò quòd divitias, & omnium rerum abundantiam non semper nobis prodesse existimat, & propterea Deum orat, ut quæ ad victum sunt necessaria, sibi solummodò tribuat,* ne satiatus ad abnegatio-

gationem nominis & auxilij divini quodammodo alliciatur. *Proverb. 30. v. 8. & 9. Sic* David *restitutionem regni sui, non simpliciter & absolutè à Deo petit, sed voluntati Dei se & temporalem suam fortunam unicè submittit:* Si, *inquit*, invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendit mihi arcam & tabernaculum suum: Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat mihi, quod bonum est coram se, *2. Sam. 15. v. 25. & 26. Atq; huc faciat insignis illa Prosperi Aquitanici sententia, quæ sic habet:* Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utilius, magis novit medicus, quàm ægrotus. *In sententijs.*

Deinde sunt aliæ etjam opes, quorum causa Deus adorandus est, eæ nimirum, quæ æternam nostram salutem immediatè concernunt, quo pertinent omnia media, salutem nostram promoventia, ut sunt fides salvifica, verbi divini prædicatio pura, Sacramentorum administratio integra, inhabitatio Spiritus sancti gratiosa &c. Bona spiritualia quæ sint.

ſa &c. *His bonæ nunquam nimiùm uti poſſumus, nec à Deo nos illa, ſed ad Deum perpetuò ducunt, ſemperq; nobis proſunt; quinimò ſtat certa perpetuo & immota Dei voluntas, ſe daturũ illa petentibus, proinde ſine ulla adjecta limitatione aut conditione ad impetranda ea Deum compellare licet.*

Spiritualia bona eò, quod ſemper proſunt, & petentibus promittuntur, ſine conditione petenda ſunt.

Vtrobiq; ergo fide opus eſt, & in temporalibus & ſpiritualibus bonis impetrandis, hoc tamen cum diſcrimine, vt in illis fides noſtra dictas conditiones non negligat, quod ubi fit, in præſumtionem ingenij humani omninò permutatur: in his ſine ulla determinatione, & modo adjecto, innixus promiſſionibus Dei infallibilibus Dei auxilium fiducialiter exſpectet.

Fidem etjam cum hic nominamus, non notitiam ſaltem promiſſionũ divinarum, non aliquẽ & externum quidẽ aſſenſum ſolummodò innuimus: ſed fiduciã illam, fidei ſalvificæ animã, indigetamus, qua præditus orans in corporalibus impetrandis, ſi ea ſibi ſint ſalutaria & Deo glorioſa; in ſpiritualibus ſine ulla conditione adjecta, ſe impetraturum, quod petit, nihilq; hæſitet.

Quibus de cauſis in fide preces fieri debeant.

Theſin hanc ſacra ſcriptura multis modis comprobat. Initiò

Initio quidem illi substernit Dei promis- 1.
sionem infallibilem, quæ toties jubet nos in necessitatibus & die tribulationis ad auxilium divinum confugere, Psal. 50. v. 15. Dominũ Deum nostrũ adorare, *Ioh. 16. v. 24. &c. Iam cum Deus verax sit in verbo suo* & impossibile sit illum mentiri, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, *cumq;* vocatio & dona Dei sint ἀμεταμέλητα, *Rom. 11. v. 29. Heb. 6. v. 18. Iacob. 1. v. 17. piaculũ certè fuerit, & in Deũ injuriosum, Dei voluntatẽ tot mandatis & invitationibus uberius declaratam dubiè interpretari velle, & sine fiducia intuendam esse, asserere.*

Deinde nostrã causã satis feliciter & lu- 2.
culenter agit Iacobus, asserens, eum qui sapientiam sibi concedi optet, debere eam petere à Deo. *At quomodo? sic nimirũ, ut dubius de precum eventu hæreat? minimè vero quin potius jubet nos, ut* author Epistolæ ad Hebræos *loquitur*, cum fiducia ad thronũ gratiæ accedere, ut misericordiam consequamur, *Hebr. 4. v. ult:* & sapientiã in fide postulare, nihil hæsitantes, ne similes fluctibus maris à vehementiori vento concussis reperiamur.

Iacobus jubet orare sine dubitatione.

Iacob. 1. v. 5. & 6. Cum quo Iacobi *testimonio* Salvatori *nostro pulcherrime convenit, asserenti, in omnibus, quæ petituri sumus, credentes nos exaudiri debere, Matth. 22. v. 22. &c.*

3. Hypocritarum orationes ob fidei defectum Deo displicent.

Porrò cum Hypocritarum preces Deo maximoperè displiceant, sicuti scriptura passim testatur, Matth. 6. v. 5. & 6. Job. 8. v. 13. &c. idq; non aliam ob causam, quàm quod hypocrytæ verâ & salvificâ fide destituuntur, sicq; saltem externam verè orantium speciem præ se ferunt; ex vi certè contrariorum hoc consequetur, verarum precum hoc esse proprium, vt in fide fiant, omnisq; dubitatio ab ijsdem longissimè removeatur.

4. *Deniq; congerantur hic omnium sanctorum ardentissima suspiria & preces fortissimæ, quas in fide Deo oblatas esse longè est certissimum; cui assertioni vel* Ionas *noster, ad summas angustias in ventre piscis redactus, apertè testimonium perhibet, qui non in genere orat, sed ad* Dominum Deum *suum, id est, cuius auxilium sibi indubitatò affuturum credebat, clamasse legitur, secutus hac in parte consilium Epi-*

stolæ

stolæ ad Ebræos, quæ suadet, ut non sine fixa & firma fiducia, sed credentes accedamus ad Deum, cum sine fide impossibile sit Deo placere. *Ebræ. 11. v. 6.*

Et tandem, cum non nisi in Christi nomine, *monente Christo orare debeamus, Christus autem non nisi per fidem nobis prosit, vel hinc satis clarè elucet, fidem à pijs precibus segregari non posse.* 5.

Ut taceam, quod negato in fide seu cum certa fiducia promißioni divinæ immobiliter adhærente orandum esse, verum discrimen inter Iudæorum, Turcarum, Ethnicorum *& verè orantium invocationem penitus corruat; siquidem ab istorum murmure & gemitu preces Christianorum, eò quod ex fide in Christum proficiscantur verè & legitimè discerni solent ac debent.*

Verum discrimen inter preces Iudæorum, Turcarum, & Christianorum.

Fide ergo cum Christianorum preces, ut hactenus ostendimus, præditæ esse debeant, cumq; à fide salvifica verè informentur, eo ipso omne meritum ipsi actioni orantis in solidum detrahimus, nullasquè preces ex sua dignitate aut conditione: sed ex solius Dei promittentis liberalitate, fide salvifica in Christo apprehensâ, metiendas

endas esse, & quatenus in fide fiunt, Deo solummodò probari, prorsus statuimus.

Hac thesi nostra apertè à Pontificijs, & nominatim Roberto Bellarmino *nos sejungimus, illamq; distinctionem, quam ipse inter* orationem meritoriã & impetratoriam *facit (quarum quidẽ illa quippè* ab homine justo & ex charitate, *ut* Jesuvita *loquitur*, facta, instar reliquorum bonorum, *h. e. ex condigno* aliquid mereatur: hæc verò ex fide, spe, charitate, humilitate, devotione, & perseverantia promanans, nihil amplius orantem sperare jubeat, quàm Deũ, utpote potẽtissimum, benignissimum, & sapientissimũ posse facere, quod petit, ut tamen faciat, indubitatò statuendũ non esse, *lib. 1. de bon. oper. c. 9.*) *infinitis modis vanam, & scripturæ prorsus contrariã esse, testamur.*

Bellarmino alia oratio est meritoria, alia impetratoria.

Primò n. cum nulla etjam justorum & renatorum maximè opera meritoria sint ejus, quod divinæ promissiones gratis nobis offerunt, ne preces quidẽ, etjam prout sunt opera, aliquid mereri dici debent.

Deinde cum fides salvifica Deo, ut ostensum est, preces nostras unicè commendet, imper-

impertinenter omninò precibus impetratorijs, vt Iesuvvita eas nominat, adjungũtur illæ ſpei, charitatis, humilitatis, & cæteræ conditiones, quarum cauſa, etſi eas in homine fideliter orante eſſe poſſe & debere non negamus, nullus certus & infallibilis precum eventus ſperari poteſt, cum omnes noſtræ virtutes, omniaq; opera etiam præſtãtiſſima legi divinæ alias debeamus, atq; ſic, quaſcunq; etiam actiones legi conformiter edamus, nihil aliud nobis reſtet, quàm adhuc ſervos inutiles nos eſſe, & noſtris operibus ex debito factis nihil nos mereri agnoſcamus.

Tandẽ vox eſt omninò diabolica, hujuſmodi fidem in precibus noſtris Deo tantùm offerri debere, quæ obiter & quaſi per tranſennam Dei beneficam voluntatem & clementiſſimas promiſsiones ſaltem aſpiciat, ſeclusâ in ſpecie fiduciâ illâ, quæ quemlibet ſecũ & in animo ſuo certum eſſe convenit, ſe, quod fide petit, impetraturũ; quod figmentũ, quoad fundamẽta, paulò antepro aſſerendâ in precib. fiducia perſtiterint, in nullius Chriſtiani animo fidẽ merebitur.

Ratiunculas, quas partim ex detortis, non

ſine

ſine violentia, ſcripturæ locis, partim ex conciſis quibuſdam Patrum dictis Jeſuvvita *pro ſua ſententia ſtabilienda conſuit, diſtrahere, laboris eſſet perexigui: ſed quià eæ in tractatione doctrinæ de Iuſtificatione & bonis operibus alibi occurrent, hic ſtudio eaſdem prætermittimus, hancquè de religioſa adoratione ἐργασίαν, præter noſtram quidem intentionem longiùs tractam, concludimus.*

SECVNDA PARS CAPITIS SECUNDI.

Pharaphraſis.

H*Actenus in genere, quid* Ionas *ab immani beluà abſorptus, & in ejuſdem ventre triduum detentus egerit, explicatum eſt, & mediocri cura oſtenſum, quomodo primus verſiculus hujus ſecundi capitis intelligi debeat, in quo Propheta dicit, ſe clamaſſe ad Dominum Deum ſuum. Iam porrò ſummam precum, octo verſibus comprehenſam, nobis Propheta exhibet, quæ ob multiplicem uſum cognitu eſt digniſſima.*

(Cla-

[Clamavi, *inquit*, de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferni clamavi, & exaudisti vocem meam.] *Mira videtur hæc* Ionæ *locutio, quod in præterito dicit* clamavi [Karathi] *cum tamen de ventre, seu in ventre piscis versu primo dicatur clamasse: Rectius ergo, respiciendo etjam ad periculum, quo in pisce delitescens adhuc circumdatus erat, dicere videretur in præsenti, se tunc demùm orationem suam, sive ut propheta loquitur, clamorem suum ad Dominum ordiri; & præterea, si jam antequàm à pisce absorberetur, clamavit (quod vox hæc temporis præteriti præ se ferre videtur) sic itidem in ventre piscis oravit, duas fuisse orationes Jonæ, quarum altera, literis saltem consignata sit, omninò consequitur.* Vers. 2.

Quomodo intelligēdum, quod Ionas in præterito dicit, non verò in præsenti (CLAMAVI)

Hieronymus, *& qui illum sequuntur Interpretes recentiores*, Theophylactus, Rupertus Tuitiensis, Haymo Halberstadensis, *& alij in ea sunt opinione, quod* Ionas *è navi in mare projectus, & fluctibus adversis aliquandiu agitatus, Dei auxilium & opem salutarem tacitè quidem*

imploraverit : cum verò à ceto jam exceptus esset, tunc demùm quasi in portum aliquem delatus, & primitias liberationis degustans, hæc verba εὐχαριστικὰ protulerit, quibus testatus sit, se jam non mediocrem spem concepisse de auxilio divino, quo deinceps etiã se adjutũ iri omninò confidat; certo sibi persvadens, quod non fortuitò, sed Dei, ità omnia disponentis providentiâ in ventrem ceti delatus sit.

Lutheri sententia de tempore compositi carminis Ionæ.

Hæc sententia etsi tolerari quidem potest, verissimũ tamen est, & in explicatione harum precum Jonæ probè notandum, quod B. Lutherus *hoc in loco observat: non sic esse excipienda verba Jonæ, quasi hunc Psalmum labijs & ore cecinerit, aut versibus in ventre ceti luserit, cum* verisimile non sit, Prophetam in tàm horribili tentatione mortis, tàm tranquilla aut serena mente fuisse, ut hujusmodi elegans & artificiosum carmen condere potuerit: sed esse verba adumbrationem quandã, & descriptionẽ horrendarũ cogitationũ & augustiarũ, omniumq; affectuũ, quibus cor Prophetæ conquassatum fuit.

Atq; sic si aspexerimus formalia hæc orationis Jonæ, jam & explicatio erit diluci-

dior, & una saltem manet oratio, quæ in agone quidem pluribus prolata, posteà verò, ubi Propheta ad terram delatus est, adhibito artificio, nervoso & rotundo carmine, rem præteritam verbis temporis præteriti depingente, adumbrata fuit.

Explicatio vers. 2.

Hoc ergò vult dicere Propheta: Cum sors à nautis jacta me declarasset reum, omniumq; animi, me ipso etiam consentiente, eò propendebant, ut è navi in mare præcipitarer; cumq; jam inter fluctus marinos natarem, nihilq; aliud restare videretur, quã ut in continenti ab aqua suffocarer, & vitã cum morte commutarẽ; nullibi tunc mihi vel exigua & minutissima saltẽ apud omnes creaturas solatij aura superfuit, ideoq; valedicens mundo, vitæ, omnibus amicis, & quicquid denique in hac mortali vita charũ, acceptũq; esse potest, ad te Domine, qui es adjutor in oportunitate, me converti, tuãq; opem unicè clamore ingenti ex vera fide promanãte requisivi.

Hebræus habet: [Mizara] in angustia, vel ex angustia Nomẽ [Mizer] quod significat angustiã, descendit à radice [Zarah] concluſit, concludendo preſſit, constrinxit,

coangustavit, sicuti occurrit in Psalmo 129 v. 1. Num. 32. v. 16. Talem itaq; dolorem se sensisse, & ad tantas angustias redactum esse Propheta *testatur, ut inter sacrum, quod dicitur, & suxum constitutus instar prægnantis & difficulter parientis afflictus & coangustatus sit. Pariens enim partu instante incredibilem dolorem habet, cum formidine mortis conjunctum, eò quod tempus pariendi adest, & ipsa in eo articulo quasi inter mortem & vitam constituta dubium eventum suspenso animo exspectat*, exclamans & gemens præ anxietate cordis sui, *ut Propheta Esaias loquitur. Esa 26. v. 17.*

Exaggeratio angustiæ Jonæ.

Ut autem evidentiùs dolorem & angustiam suam Propheta exprimat, per ἀναδίπλωσιν addit, se de ventre inferni clamasse [Mibbeten scheol] *ubi quid voce* [Scheol] *veniat, paucis erit dispiciendum.*

Theodorus Beza, *ut veritatem Articuli de descensu Christi ad inferos tollat*, Schëol *dicit* propriè sepulchrum denotare, & descendere ad inferos, nihil aliud esse, quàm sepulchro condi. *In explicat.*

cat. cap. 2. Act. Apost. super versum 27.

Nos etsi non negamus, multos etiam è nostris Theologis vocem illam in explicatione quorundam dictorum scripturæ ità vertisse; propriè tamen, uti quidem Beza *contendit, & semper de sepulchro eam accipi posse, sicq; articulum illum fidei de descensu ad inferos intelligendū esse, tamdiu negabimus, quamdiu* Petri *oratio in primo Pentecostes festo habita* Christum *ad inferos descendisse, seu in inferno (εἰς ᾅδου) fuisse, constanter asseveraverit.*

Vox Schеol quid propriè significet.

Notant autem tres præcipuas hujus nominis significationes Theologi, & primò dicunt, denotare eam commune illud ταμεῖον sive receptaculum animarum post hanc vitam, quod ubi & quale sit, reticentibus scripturis, nostrum non est curiosè percontari, quibus sufficit ex verbo Dei hoc didicisse, benè esse, animabus piè defunctorum, easq; nulla cura tangi, sed in manu Domini ab omni Satanæ violentia & incursu asservari, id quod Spiritus sanctus perspicuè docet, Sapient. 3. v. 1. Luc. 23. v. 43. Luc. 16. v. 22. & 25. Atq; sic dicunt accipi vocem hanc, Gen. 37. v. 35.

ubi Iacob ait: descendam ad filium meũ lugens Scheolah, *in locum scilicet illum, ubi requiescit anima filij mei. Psal. 89. v. 49. Iob. 7. v. 9.*

Secundò voce Scheol *ajunt venire locum & cruciatus damnatorum, hucq; accommodant sequentia in scripturis testimonia, quæ extant Nu. 16. v. 30. Esa. 28. v. 15*

Tertiò asserunt per dictionẽ Scheol *pavores conscientiæ, quibus tam pij quàm impij in hanc vita torquentur, exprimi, sicq; illam accipi, 1. Sam. 2. v. 6. Psal. 86. v. 14. Ion. 2. v. 2. Et in hoc quidem tertio significatu sæpius dictam vocem hoc in loco accipi statuit* B. Lutherus *noster, dicens; vocare Ionam ventrem ceti, inferni ventrem* non quod venter ceti sit venter inferni, sed quod fuerit Ionæ vice inferni, & Ionas in eodem inferni terroribus cruciatus sit.

Idem ergò est, cum Propheta asserit, se de ventre inferni clamasse, ac si dicat: Tantis, tamq; gravibus cruciatibus in ventre beluæ istius immanissimæ divexabatur anima mea, vt meas tribulationes & dolores illorum propemodum angustijs, qui in limine inferni versantur, æquiparare non dubitem. Cæte-

Cæterum in hoc tanto angustiarum & tribulationis cumulo unicum illud ἀλεξιφάρμακον *& salutarem anchoram*, clamorem ad Dominum se arripuisse *Propheta ait*; *quem quidem clamorem DEum non tantùm cognovisse, sed & manus auxiliatrices porrexisse*, & preces axaudisse, *semel atque iterum testatur. Et hæc est summa totius ferè subsequentis narrationis, in qua periculi sui magnitudinem latiùs exponit, & quid animo cogitaverit, aut etjam hæsitante lingua in piscis istius bene magni utero protulerit, justo ordine commemorat.* Vers. 3.

Sciscitanti enim ex Propheta; *quis erat iste tuus clamor, aut quæ inter clamandum animo tuo obversabantur cogitationes? Sic respondet: Perpendebam mecum periculi, in quod conjectus eram, magnitudinem, siquidem jam non amplius in superficie aquæ hærebam, ubi enatandi aliqua spes mihi affulgere poterat, sed inter tantos fluctuum conflictus* in profundum usq; cordis maris demergebar, *collidentibus supernè & quidem æstu vehementi, aquarum collibus*; Vers. 4.

quinimmò ipsæ catarractæ cæli videbantur in meam perniciem esse adapertæ, siquidem quicquid undiq; terrarum & locorum sese in mare aquæ exonerat, ad meam submersionem & subversionem unicè concurrere videbatur. His tantis malis stipatus, cum foris pugnæ essent, intus accedebant pavores conscientiæ vehementes, quibus ità nonnunquam excruciabar, vt præ nimio mœrore, tactus aculeatis conscientiæ stimulis, & dubius nonnihil de temporali & æterna salute, exclamarem: O infelicem me, cui neq; in Deo etiam, si vera sunt, quæ conscientia mea mihi dictitat, spes
Vers. 5. *amplius super est*, à cujus facie, *hoc est, gratioso & salutari intuitu*, omninò abjectus sum; *atq;* utinam *semel saltem* liceret ad templum sanctum Domini redire, & *limen sancti istius habitaculi oculis meis eminus aspicere, sicq; in loco sancto, cui Deus gratiosa sua præsentia se affuturum, & preces orantium inibi exauditurum promisit, peccata & inobedientiam meam confiteri, ibidemq; veniam & peccatorum remissionem in auditu verbi divini impetrare: Sed opto hæc quidem, quæ vt sperem,*

rem, impedit aquæ me circumvallantis, Vers. 6.
& muro quasi cingentis, multitudo, *qua & anima mea à corpore separatur, & vitæ animæ meæ spirituali æternum quasi exitium indicitur: ipsum terræ centrum & diametrale meditullium jam attigi, sicq;* in profundissima profunditate *hærens &* Vers. 6.
junco coopertus, *dum* summis montium Vers. 7.
verticibus, *super caput meum coëuntibus, tanquàm carcere concludor, nihil aliud conjicio, quàm actum esse de me penitus,* meq; æterno interitu *prorsus destinatum; quæ suspiria, & suprà quàm dici potest querula Prophetæ verba ex Poëta quodam non ineleganter ità exprimere possemus:*

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum, Ovid. lib. 1
Iamjam tacturos sidera summa putes. Trist. Elg. 2.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles,
Iamjam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunq; aspicio, nihil est nisi pontus & aër,
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

In hunc paroxismum & profundißimam tentationum voraginẽ prolapsus Prophetа, *à Deo tamen se omninò neglectum non esse, fateri cogitur. Proinde quod grati est animi, si quid beneficij acceperis, in ho-*

norem benefactoris sæpius commemorare, idipsum Ionas *quoq; diligenter exequitur, & cum antè bis dixisset, Dominum exaudivisse clamorem & vocem suam, jam totum opus miraculosæ conservationis eidem denuò acceptũ refert:* Tu, *inquit*, Domine, Deus meus, *qui in verbo tuo promisisti, te præstò futurũ ope tua omnib. invocantibus te, & promissionẽ verbi tui tibi obtendentibus, quùm has tuas promissiones fide apprehenderem, & omnem in te liberationis spem reponerem, non me vana spe lactasti, aut frustraneam meam de te conceptam fidem esse voluisti, sed in summo vitæ discrimine constitutum* liberasti, & vitam meam ab interitu, *etjam tum cum animam agere videre poteram, manu tua verè omnipotente* vindicasti.

Vers. 7.

Ne verò aliquem beneficij accepti partem silentio Ionas involvat, cum se à corporali malo per Dei gratiam & infinitam bonitatem liberatam esse deprædicaverat, contra tentationes spirituales itidem sibi à Domino saluberrimum remedium administratum esse ostendit.

Paulò

Paulò antè enim ſtimulis conſcientiæ compunctus, dixiſſe ſe refert: abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum, nec dabitur rurſus videre templum ſanctum tuum; hanc dubitationem ſibi exemtam eſſe nunc narrat nullo alio medio, quàm re-
cordatione Domini. Cum anguſtia- Verſ. 8.
retur in me anima mea, Domini recordatus ſum, *quaſi dicat: Circumdatus undique aquis, vallatus abyſſo, coopertus pelago, concluſus vectibus terræ, cum tui ſolummodò recordarer Domine, inquè gratiam & benevolentiam tuam, qua inde à prima uſque creatione genus humanum & pœnitentes cumprimis peccatores reſpexiſti, oculos cordis unicè defigerem, cumquè mihi in mentem revocarem pro omnibus à me perpetratis omiſſionis & commiſſionis peccatis. proquè illa ipſa quoque qua ad iram à me provocatus & graviſſimè læſus es inobedientia promiſſum illud ſemen mulieris Meſſiam morte & paſſione ſua in ara crucis tibi exactiſſimè ſatisfacturum ſic quidem fides mea, anteà calamo conquaſſato & lychno fumiganti non abſimilis,*

erecta

erecta atq; confirmata est, vt non dubitaverit amplius, anne audires gemitus meos, & mihi propitius adesses; quinimmò ipse eventus satis comprobavit, venisse ad te orationem meam, & aquarum claustra, aërem, ipsasq; cœli fores fortissimè rupisse, inq; templum tuum sanctum, unde mihi auxilium venit, admissam esse.

Hæc Prophetæ *fides, quæ recordatione Domini describitur, initio langvida, tanta deinde sumit incrementa vt non possit sese continere Propheticum pectus, quin eos, qui in necessitatibus à vero Deo ejusquè salutari auxilio recedunt,* Vers. 9. *publicè redarguat, nominans primò hypocritarũ hujusmodi cultum* [Havelei] va*nitates ab ipsis hypocritis & justitiarijs extra verbum Dei & promissiones divinas effictas. 2. custodes hujusmodi vanitatum* misericordiæ Dei capaces *non esse, sed eam* turpissimè, *nec id quidem sine externæ salutis dispendio,* derelinquere *dicit; hoc innuens: credite mihi,* Ionæ, *qui expertus tentationes spirituales, loquor: Quicunq; in periculis & anxietatibus constituti in Deo suo fiduciam non collocant, sed vel*

in

in suis meritis electitijs confidunt, vel in corde suo veri Dei loco quicquam, quod Deus non est, collocant, hi sunt custodes vanitatum, *de quorum intentione & studijs verè dicere liceat, quod in Ecclesiaste cap. 1. v. 2. extat*: vanitas vanitatum & omnia vanitas; *quinimmò hujusmodi homines Dei gratiam, ad quam omnibus contritis & humiliatis animabus aditus patet, à se longissimè propellunt, & ab amplexu misericordiæ Divinæ vanitatum suarum custodia turpissimè excidunt.*

Tandem preces has finiens, se non immemorem fore accepti à Deo beneficij & miraculosæ liberationis pollicetur, ideoq; Vers. 10. *recipit* se in voce laudis Deo immolaturum, & vota, *quæ jam antè voverat*, liberaliter exsoluturum; *quibus verbis non ad singularem quendam ordinem aut statum vitæ Monasticæ respicit, vt quidem in his & similibus dictis, ubi votorum fit mentio, Papicolæ nugantur: sed hoc vult dicere; deinceps non ero Deo inebediens, sed exhibebo corpus meum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, uti Apostolus Rom. 12. v. 1. loquitur: atq; hæc hostia*

stia erit laus labiorum & linguæ meæ, quæ semper erecta & pompa invenietur ad laudandum Dominum & ad prædicationem omnium benefactorum, quæ mihi à Deo meo obtigerunt.

LOCI DOCTRINÆ.

Afflictorũ preces Deus promtissimè audit.

I. Notanda est promtitudo & liberalitas Dei in exaudiendis afflictorũ precibus, de qua toties testatur Propheta, cum dicit, v. 2. Domine exaudisti me, *Item:* Exaudisti vocem meam; *rursus v. 6.* liberasti vitam meam ab interitu. *v. 7.* venit ad te oratio mea ad templum sanctũ tuum.

Hanc suam benevolã erga nos nostrasq; preces propensionem sæpius in scriptura declarat. Apud Prophetam Esaiam *promittit*, se antequam clamemus nos auditurum, & inter orandum nobis auxilio suo occursurũ, *cap. 65. v. 24. cap. 30. v. 19. Similiter sese declarat erga* Danielem, *orantem pro templi Hierosolymitani restauratione, quem hunc in modum Dei jussu* Angelus *Gabriel affatur:* Ab exordio precũ tuarum egressus est sermo, & veni ego ut illũ tibi indicarẽ, *Dan. 9. v. 23*

Subitanea hæc auxilij divini precibus

bus nostris expetiti præsentia calcar nobis addat tàm contra Prodici (orandum non esse statuentis) deliria; Clemens Alex. lib. 7. stromat. fol. 48. edit. 56. Basil. quàm contra Pontificiorum paulò superiùs taxatam dubitationem, cùm immotum perpetuò maneat, longè paratiorem esse Deum ad dandum, quàm nos sumus ad accipiendum. Nec est alicuius momenti, quod aliquis hic regerat, triduo demùm elapso Ionam liberatum esse, quinimò extare & alia in scripturis exempla, quæ ostendant diu, multumq; nonnunquam oràsse sanctos etjam, priusquam quod expetiverunt, impetraverint. Ad ea enim verissimè respondetur tempus commodum exaudiendi benevolo erga nos affectu metiendum, qui cum sit adjutor in oportunitate, nullius q; consilio egeat, ipse rectissimè sciet, quando & quomodo exaudire nos debeat, cum Apostolo 1. Cor. 10. v. 13. teste, fidelis sit, & non sinat nos tentari, ultra quam perferre valeamus, sicq; omnium tentationum eventum moderetur, vt illi humeri nostri pares quodammodò esse possint. PRODICI error.

II. Quod Propheta testatur, se à Deo in

in profundum maris projectum esse, cum tamen capite præcedenti nautis immersionem illam in mare assignet, singularem observationem meretur. Eo ipso namq; docemur, crucem & calamitates, immò ipsa etiam mala pœnæ, non à Diabolo tantùm, aut impijs hominibus provenire, qui Dei saltem flagella sunt, quibus utitur vel in puniendis impijs, vel in exercendis verè fidelibus: sed Deus etiam quippè κυβερνήτης hujusmodi calamitatum ab ijsdem excludendus non est. Non est malum in civitate, *inquit*, Amos, *cap. 3. vers. 6.* quod non fecerit Dominus. A Domino, *habet* Apostolus *1. Cor. 11. v. 32.* Corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Mala pœnæ à Deo proveniunt & ab impijs & à Diabolo; sed diverso respectu.

Concurrunt itaque Deus, & causæ secundæ, Diabolus, homines impij, & reliquæ creaturæ ad hujusmodi calamitates, sed modo longè diversissimo.

Diabolus & impij, quo fine plagas excitent.

Diabolus enim & impij homines, quoties calamitates: bella puta, pestes, famem & alias hujusmodi plagas excitant, faciunt hoc ipsum fine & modo minimè bono: cum namq; ater ille Spiritus sit homicida ab initio, Christo *teste, hoc unicè respicit, ut libi-*

libidinem ſuam, nocendo hominibus, expleat, ſicq; multos inopinata morte in peccatis ſuis abreptos ad tartara detrudat. Similiter quoties homo hominem interficit, furto aliena bona aufert, adulteria, aut alia facinora in perniciem proximi committit, facit id, à pravis concupiſcentiæ ſtimulis, ex peccato originali adhuc reliquis, incitatus. Reliquiæ enim iſtæ labis originalis, quia otioſæ non ſunt, hominem ad quævis ſcelera Diaboli inſtigatione extrinſecus accedente, adigunt atq; impellunt. Quatenus igitur calamitates & plagæ ex his cauſis proveniunt, eatenùs verè malæ haberi omninò debent.

Cæterum cum ipſis cauſis ſecundis & naturæ à Deo creatæ Diabolo & impijs libere uti non liceat, ſiquidẽ ne ſues etiam, niſi permittente Chriſto, Dæmon invadere poteſt. Matth. 8. v. 31. hinc fit, ut primò in actionibus hujuſmodi vitioſis ipſam naturam rerum, & abuſum ejuſdem accuratè ab invicem diſcernere oportet. *Quoties namq; fur brachium ſuũ extendit, & in expilandis alienis ſcrinijs totus eſt, ipſe quidem motus minimè malus,*

sed bonus, & à Deo naturæ inditus, Deiq; opus est: at verò usus ejusdem seu apprehensio alieni boni tantoperè Deo displicet, vt singulari præcepto tanquam sepimento bona proximi cinxerit, omniaq; furta severissimè prohibuerit; Interim tamen in ipso etiam furto naturam sustentat, quæ ne per unicum momentum, Deo manum subtrahente, subsistere posset, abusum autem ejusdem minimè probat, sed ad eundem sic concurrit, primò, vt ob antegressa aliorum scelera vigore justitiæ suæ alios malè nonnunquam agere permittat, sicq; peccata peccatis nonnunquam puniat.

Deus quomodo ad malas actiones concurrat.

Deinde verò non sinit etiam temere grassari Diabolũ, & organa ejus, sed certos illis limites certamq; metã ponit, quã affligẽdo alios superare, aut extra limites determinationis divinæ vagari ipsis minimè licet.

Tandẽ crassissimam quandoq; in pravis actionibus ἀταξίαν Deus Opt. Max. *ad pulcherrimã, suavissimãq; τάξιν sic reducit, vt quæ ex se & suâ naturâ mala & vel maximè ἄτακτα sunt, Dei omnipotentis infinita bonitate, illustrandæ justitiæ & gloriæ divinæ, & promovendæ saluti hominũ*

contra

contra ſuam naturam non rarò inſerviant.

Præterea cum vt dictum eſt, cauſis ſecundis mali Spiritus & homines pro libitu perpetuò uti non poſſint, ſed tãtum ex permiſſione divina: Deus econtrà tanquam cauſa cauſarum & primus motor, qui ſuperiorem non agnoſcit, omnibus à ſe creatis rebus liberè utitur, quandoq; in ordine à ſe creato eas ſervitijs ſuis accommodans, nonnunquam etiam hunc ordinem tranſcendens, & è ſua ſtatione creaturas evocans, quod toties facit, quoties contra vulgarem naturæ curſum per ipſam rerum à ſe creatarum ſubſtantiam vel malos punit, vel etiam bonos probat, & in fide confirmat: quo referantur maris rubri exſiccatio, *Exod.14.v.21.* Solis ſtatio. *Ioſ.10.v.13.* ſubitanea hæc tempeſtatis excitatio, ejuſdem ſedatio, &c. Atq; in hujuſmodi actionibus itidẽ & Deus & cauſæ ſecundæ agere rectè dicuntur: hæ quidem vt inſtrumẽta & media, quibus Deus liberè utitur; ille a. vt Dominus horum mediorum, qui, quomodo ea diſponere velit, nulli rationem reddere tenetur, cum nulla ei creaturarum à conſilijs unquam fuerit, conſiliumq; ſuppeditaverit.

Natura in actionibus non tranſcendit ſua principia, cum Deus liberè & ſupra naturam nonnunquam agat.

His ità observatis apparet, jam verè calamitates suas Jonam & mari, & nautis & Deo ipsi adscribere; Deo, ut justo Iudici inobedientiam Jonæ subitanea tempestate punienti; nautis ut justitiæ Divinæ ministris; fluctibus maris, ut medijs, per quæ Propheta correptus fuit.

Atq; ista nos distinctè scire oportet, primò quidem, contra Calvinianorum *blasphemias, qui Deo instigante & impellente ipsa quoq; mala culpæ committi scribunt, à quorum* θεομαχίᾳ *ità quidem sumus alieni, ut cum* Chrysostomo, *satius esse dicamus, sexcenties defodi, quàm Deum mali alicuius authorem esse asserere, Hom. 33. in actor. Apostolorum.*

Deinde ingentem consolationem omnes pij mole calamitatum pressi, exinde hauriunt, quod Deum ab hujusmodi calamitatibus non abesse, nec eas dem otiosè saltem contemplari, sed & mala determinare, & de malo, ut Augustinus *alicubi loquitur, benè facere cognoscunt. Cum enim ex verbo Dei certi sint,* Deum neminem tentare ad malum, *Iacob 1. v. 13. eundemq; majus quàm quis portare possit, onus nemi-*

nemini impositurum, non possunt non de quibusvis ingruentibus plagis benè sperare & cum Regio Propheta dicere: Bonum est mihi Domine, quod castigasti me, ut discam justificationes tuas, *Psal. 119. versic. 71.*

Spirituales tentationes sunt vehementissimæ.

III. Agon & lucta conscientiæ Prophetæ itidem consideratione est dignissima. Commonstrat enim spiritualium tentationum vehementiam, quæ sanctissimos quoq; eò etjam adigere potest, ut cum Iona præ impatientia nonnunquam exclament: abjecti sumus à facie tua; non videbimus templum sanctum tuum. *Docet hoc suo nos exemplo Iob, vir alioqui* simplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo, *Job. 1. v. 1. cui cum primò omnes facultates & liberi uno die aufferrentur, etsi nonnihil contristatus fuit, considerans tamen bonis sine voluntate Dei nihil quicquam accidere posse; semetipsum consolatus est dicens:* nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum, *Iob. 1. v. 21.*

Iob in quas tentationes gradatim prolapsus.

Deindè verò ubi videbat, corpus etiam suum affligi præ doloris impatientia, natali suo maledicere incipit: pereat, *inquit*, dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est masculus. *Iob. 3. v. 2. & 3. De hinc paulatim progreditur, Deoq; nonnihil obloquitur, dicens;* se abominatum esse nequaquam ultrà victurum. *Iob. 7. v. 16. quinimmò immitiùs secum agi,* cum à Deo lapis quasi offendiculi designatus sit, sibiq; peccata remitti nequeant. *cap. 7. v. 20. & 21.*

Vt autem tentationum hujusmodi gravitas rectius quodammodò cognoscatur, dispiciamus paulisper, quænam sint illæ sagittæ, & spicula in sanctis hærentia, & tantos cruciatus atq; dolores excitantia, vt sanctos quoq; inclamare faciant: abjecti sumus à facie tua Domine, non videbimus templum sanctum tuum.

Tentationum spiritualium varietas.

Primus itaque tentationum spiritualium fons est consideratio propriæ imbecillitatis, infirmitatis & indignitatis. Etsi enim sancti per verbum & Spiritum sanctum in hac vita regenerantur, vivificantur & renovantur: illa tamen renovatio

hic

hic planè non absolvitur : sed perpetuò manent pravæ fuligines, & reliquiæ peccati originalis, quas Apostolus legem carnis, repugnantem legi mentis, *alicubi nominat. Rom. 7. v. 23. Et quoniam cum hac pravâ, in Renatis etjam adhuc remanente concupiscentiâ, continuæ luctæ homini Christiano intercedit, siquidem Apostolo teste*, caro concupiscit adversus carnem *Galat. 5. v. 17. succumbit nonnunquam homo etjam regeneratus in hac pugna, & in peccata relabitur, quod considerans, facere non potest, quin cum eodem Apostolo exclamet* : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, *Rom. 7. versic. 24.*

Secundò, multitudo crucis, variarumq; calamitatum eò nonnunquam veros etjam Christianos adigit, ut de gratia Dei, & benevola paternaquè in pios propensione dubitare nonnihil incipiant. Videre hoc est in Iona, *qui cum aquæ instantis impetu undique obrueretur, etsi quidem Prophetico Spiritu præditus erat, impatiens tamen miseriarum & circumstantis periculi,* abjectus sum, *clamat,*

à conſpectu oculorum tuorũ Domine. *Pij namq; crucis pondere preßi, cum vident bonis & malis benè eſſe, aut de ſeipſis, ſintne cum Deo in gratia, eidemq; placeant, dubitare incipiunt, aut juſtitiam Dei tacite incuſant, cujus manifeſtum exemplũ in Iobo, alijſq; ſanctis deprehendere licet.*

Tandem graviſſima ea eſt quæ ex prædeſtinatione filiorum Dei ad æternam ſalutem minus rectè aſpectâ oritur, tentatio. Quotieſcunq; enim mens humana audit, non omnes homines, eo quod multi non credunt, ſalvari, atq; hinc certum & Deo cognitum ſalvandorum numerum eſſe, curiosè continuò circumſpicit, quinam ergò libro iſti vitæ inſcripti ſint, & electis annumerandi; atq; hic jam quilibet ſecum ſollicitè quærit: Eſne & tu in numero electorum? perſeverabiſne tu etjam in fide uſque ad finem? fortaſsis in tali opere, aut tempore mors ſuperveniet, quandò per peccata contra conſcientiam admiſſa fides excuſſa eſt? *ſicq; omne tuũ ſtudium, quod in media ad ſalutem perducentia, in auditum verbi Divini, & fidei ſalvificæ acquiſitionem antehac ſollicitè impendiſti,*

prorſus

prorsus erit irritum, & secundum tritum illud (qualem te invenio, talem te judico) *æternæ damnationi adjudicaberis.*

Hi sunt præcipui tentationum spiritualium fontes, quibus cum sanctos etjam graviter exerceri audimus, nos, quibus tanta constantia & fortitudo ignitis Diaboli telis resistendi admensa non est, indesinenter oremus: Domine ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.

Remedia contra varia spiritualium tentationum genera.

IV. Observatu verò dignum etjam est, quonam compendio Propheta tantas tentationum flammas restinguat, & conscientiam suam non parùm conquassatam consoletur. Non confugit ille ad vitæ suæ sanctimoniam; non ad sanctorum intercessiones, aut alia Deo displicentia remedia: sed Deo unicè fidit, à cujus misericordi & perquàm benevolo ac paterno complexu, se nulla vi, nullius q. periculi instantis magnitudine avelli nunquam patitur.

Hunc athletam longè glorioſissimum in quavis approperante conscientiæ luctastrenuè insequi discamus, ità quidem, ut primò imbecillitati nostræ opponamus fœderis, cum Deo in baptismo semel icti, &

toties per usum sacræ συνάξεως confirmati, integritatem, firmitatemq; : Quod licet à nostra parte reciprocæ isti bonæ conscientiæ stipulationi, *in baptismo factæ, plenè satisfactum perpetuò non sit, Deum tamen fidelem esse meminerimus,* cujus dona sunt sine pœnitentia, *Rom. 11. v. 29.* quique hominis instar non muratur, *Malach. 3. vers. 8.* cujus *item* viæ & cogitationes longè sunt sublimiores, quàm ut à nobis in hac carnis infirmitate sufficienter apprehendi possint. *Proinde utcunq; in peccata justi etjam septies quovis die prolabantur, si modò cum proæresi & contra conscientiam ea non admittant, ijs gratiam Dei & Spiritum sanctum non continuò excuti meminerint; qui quatenus eidem malitiosè non resistimus, ad peccata nostra ex imbecillitate carnis contra novæ vitæ studium commissa, paternè connivet, eaq; merito Christi jamdudùm abolita esse, in cordibus nostris testimonio infallibili testatur.*

Deinde verò multitudini crucis & calamitatum opponamus ordinem à Deo in Eccle-

Ecclesia sancitum, quod nimirum non fortuitò; sed Deo eas paternè moderante calamitatibus obruamur; qui cum nos velit conformes fieri imagini filij sui, *isq; demùm per passionem & mortem longè acerbissimam in gloriam suam intraverit, certi hinc sumus, crucem multifariam non irati, sed propitij Dei, in consortium filij sui hac via & methodo nos vocãtis, verissimum indicium esse, qui cum nos exerceat cruce & varijs pressuris, quas perferendo, Christo compatimur, documento idipsum esse potest, cum Christo nos itidem in gloria regnaturos.*

Tandem nec prædestinationis filiorum Dei consideratione nos planè dejici sinamus. Etsi enim non omnes vitæ æternæ fiunt participes, eò quod plurimi in fide finaliter non perseverant, non tamen absoluto quopiam decreto aut beneplacito Dei quempiam abjici, ex verbo Dei longè sumus certissimi. Quapropter neglectis & relegatis prorsus curiosis & inanibus in hoc sublimi mysterio speculationibus, ad exemplum Prophetæ Ionæ, misericordiæ Dei indivulso nexu adhæreamus, semper-

semperq; cogitemus, paternæ & benignissimæ ergà nos voluntatis documentum esse, quod certo ordine & via, in Christo *nimirùm, fide apprehenso, Deus nos salvare, & ad vitam eligere voluit. Quod si regerit nobis animus noster, ordinis hujus acquisitionem nondum in nostra potestate esse, cum & fides sit donum Dei, & viribus nostræ naturæ minimè acquiratur, opponamus huic dubitationi rursus, quod ad media illa, per quæ salutem consequimur, verbi puta auditum, & Sacramentorum usum omnib. & singulis aditus pateat longè facillimus & latissimus, quodq; Deus, qui mentiri nescit, toties promiserit, se ope sua nemini, modò verbum prædicatum audiat, defuturum;* Neminem *inquit* Christus, qui ad me venit, ejicio foràs *Joh: 6. v. 37. quinimò* tota die manus suas nostri causa se expandisse *apud Prophetam testatur. Esa. 65. v. 2. seq; nihil magis in votis habere, quàm* ut omnes ad agnitionem veritatis veniamus, pœnitentiam agamus, & convertamur, sicq; salutem consequamur, *sexcenties penè affirmat. Ezech. 18. v. ult. cap. 33. v. 11. 1. Tim. 2. v. 4. &c.*

Nec

Nec est quod dubium finalis in fide perseverantiæ eventum Diabolus nobis toties ogganniat. Si enim fides humano inniteretur præsidio, & nostrarum esset virium, haberet utiq; infelix iste Satan, quod commodè nobis objicere posset, præcipuo argumento ex infirmitate naturæ nostræ & virium nostrarum imbecillitate, ad terrendas miseras & alioquin satis maceratas conscientias desumto. Jam verò cum fides salvifica in gratia Dei & Christi meritò unicè fundata sit, sicq; per hoc à Deo omnis nostræ electionis & finalis in fide perseverantiæ spes dependeat, rursus cogitemus, Deum fidelem esse, qui non ad interitum, sed ad vitam nos vocavit, adeoq; cum Apostolo super electionis nostræ solidissimo fundamento, & finalis perseverantiæ spe prorsus infallibili gloriemur, præq; gaudio exclamemus; Si Deus pro nobis quis contra nos, qui etjam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò etjam non cum illo omnia nobis donabit? quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat: quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui

mortu-

mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis. *Et paulò pòst:* Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. *Rom 8. v. 31.32.33.34. Item v. 38. & 39. Atq; hoc est, quo se Propheta quoq; noster in extremo conscientiæ agone solatus fuit, quod satis clarè indicat, cum dicit;* Tu Domine liberabis me ab interitu; tui Domine recordatus sum, & venit oratio mea ad templum sanctum tuum.

Ad Deum in necessitatibus exemplo Ionæ tantummodò confugiendum.

V. Monemur etiam hac Ionæ oratione, quàm sit res plena periculi, ingruente necessitate in alio quàm Deo spem suam reponere; id quid Propheta verbis valdè significantibus & patheticis exprimit, quandò hujusmodi homines vanitatum cultores, & misericordiæ divinæ desertores apertè nominat. Atque hoc ipsum Propheta Jeremias *etiam innuit*, maledictum

ctum eum pronunciando, qui confidit homine, & ponit carnem brachium suum, *Ierem. 17. vers. 5.* Bonum est, *inquit* David, confidere in Domino, quàm confidere in homine; *immò* bonum est, *inquit*, sperare in Domino, quàm sperare in principibus, *Psal. 118. vers. 8. & 9. Et alibi:* Nolite confidere in principibus; neq; in filijs hominum, in quibus non est salus, *Psal. 14. v. 3.*

Proindè quoties videmus grandia imminere pericula, non subsistimus in ope & auxilio humano, vel nostro, vel etjam aliorum; quod nihil aliud est, Propheta teste, quàm τὴν ματαιότητα φυλάττειν: *sed confugiamus ad nomen Domini, quod est* turris fortissimæ instar, ad quam currit justus, & exaltabitur. *Proverb. 18. versic. 10.*

VI. Meminerimus quoque ad exemplum Prophetæ, sicubi in necessitatibus auxilium divinum aliquandò sentiamus, ne immemores beneficij accepti, ingratitudinis teterrimam notam nobisipsis adsciscamus, sed vt Deum pro omni

in

in nos collato bono laudemus, omniaque membra & articulos nostros ad decantandas nominis divini laudes & gratiarum actionem componamus. Docet id nos suo exemplo Ionas, *ex ipsis inferni faucibus & ventre immunis balænæ liberatus, eò quod recipit,* se in voce laudis immolaturũ Domino, & vota sua redditurum, *versic. 10.*

Pro acceptis à Deo beneficijs, eidem gratiæ sunt agendæ.

Et sunt sanè causæ longè gravissimæ, quæ ad gratiarum actionem, Deo indies exolvendam nos exstimulare debent.

Causæ ad gratitudinem Deo exhibendam nos incitantes.

Primò, quod laudes divinæ & gratiarũ actio præcipuus est cultus, qui inter Christianos Deo exhiberi potest: sunt enim gratiarum actiones nostræ victimæ, λογικὴ λατρεία, *Rom. 12. v. 1.* vituli & fructus labiorum, *Ose. 14. v. 3. Hebr. 13. v. 15.* suntq; eæ Deo longè gratiores, quàm taurus habens cornua & ungulas, *Psal. 69. versic. 33.*

Deinde exigit quoq; in scripturis pro beneficijs in nos collatis gratitudinem divina majestas. Psal. 50. promittit quidem auxilium omnibus invocantibus se, *sed tamen se contrà honore affici velle, & gratiarum*

tiarum actionẽ exigere, subindicat. v. 15. Ad eundem modũ gratias nos agere Deo pro omnibus *aliquoties monet* Apostolus, *& hujus gratiarum actionis usq; adeò nos vult esse memores & studiosos, ut* quodcunq; facimus in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum, faciamus. *Ephes. 5. v. 20. Colos. 3. v. 17. 1. Thes. 5 v. 17. &c.*

Porrò facem hac in re nobis præferunt omnium verè piorum exempla satis illustria. Iacob *retrospiciens ad innumera illa à Deo accepta beneficia, grata mente illorum recordatur*, Domine, *inquiens*, minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam expleviſti servo tuo; in baculo meo transivi Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis egredior. *Gen. 32. v. 10. Similiter* David *animo suo veternum ingratitudinis excutiens*, benedic, *inquit* anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus, *Psal. 103. v. 2. Idem alibi*: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, &c. *Psal. 34. v. 1.*

Ingratitudo à Spiritu sancto improbatur.

Denig; constat, ingratitudinem vitium, immò scelus esse turpissimum, & à Spiritu sancto, omnibusq; sapientibus toties damnatum. Salomon *apertè pronunciat*, non recessurum malum à domo ingrati, *Proverb. 17. v. 13. Sic multoties super ingratitudine populi Israelitici quæritur Dominus illiq; hoc nomine extremum non rarò minatur exitium, vt quandò dicit*, se filios nutrivisse & exaltâsse, qui pro tanto beneficiorũ cumulo ipsum posteà spreverint, *sibi itidem debitum honorem & reverentiã omninò subtractã, denegatamq; fuisse. Esa. 1. v. 2. Malach. 1. v. 6. qua de Iudæorum propudiosa ingratitudine alibi querelæ extant satis manifestæ. Cum itaq;* ingratitudo sit hostis gratiæ, inimica salutis, Deoq; nihil ità displiceat, quemadmodùm ingratitudo, *vt* Bernhardus *loquitur Serm. 1. de 7. misericordijs, pro virili gratitudinem sectemur, & fructus labiorum nostrorum indies Deo offeramus, ne & nobis illud, quod de sui sæculi hominibus* Lactantius *lib. 2 divin. instit. cap. 1. olim dixit, objici possit: Si inquit ille*, gravis quædam necessitas eos oppresserit, tunc Dei

Dei recordantur, si belli error infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si tempestas, si grando ingruerit; ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium; Deus, ut subveniat, oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat, Si quis aliqua vi affligitur, hunc protinùs implorat: Si quis ad exteriorem mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per ejus unicú atque divinum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dùm in malis sunt; postquàm metus deseruit, & pericula recesserunt, Deo, quem antè in sua ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Nam tùm Deus memoriâ hominum maximè elabitur, cùm beneficijs ejus fruentes, honorem dare divinæ intelligentiæ debent. NB.

PARS TERTIA CAPITIS SECUNDI.

SVperioribus Jonæ *cogitationes, quibus, cum triduum integrum in vastissimo piscis maximi utero detineretur, sese maceravit, introspeximus: hac tertia capitis parte, quæ unico, eoq; ultimo versiculo absolvitur, subitanea & prorsus insperata* Prophetæ liberatio *describitur; quæ quia multis modis est miraculosa, diligenter omninò perpendenda erit.*

Tribus autem membris ea potissimùm absolvitur, quorum primum, quisnam Prophetam liberaverit, & è morte in vitam reduxerit, *monstrat: Secundum,* qualiter à pisce isto magno Jonas exierit, *declarat, Tertium denique,* quorsum ex faucibus ceti Jonas projectus devenerit, *exprimit. De singulis ordine agemus.*

Prius autem quod attinet, non humano, aut angelico, aut ullius alterius creaturæ ope Propheta liberatur; neq; enim eius opem imploraverat unquam, sed vanam prorsus, futilem, & omninò nullam esse paulò antè dixerat: Proinde is, quem

in

in difficultatibus suis Prophetæ unicè compellaverat, Iehovah *nimirùm*, *à quo ipso in profundum maris anteà projectus erat*, *is nunc rursus Prophetam*, *per tres dies miraculosè satis sustentatum*, *liberat*, *& terræ restituit*; Iehovah, *inquit*, dixit pisci, & evomuit Ionam in aridam.

Notabile hoc est, *quod Prophetæ scribit*, Iehovam *non jussisse Angelos advolare*, *& Prophetæ præstò esse*, *aut piscem istũ portentosum ad terram quasi pertrahere*, *sicuti Angelorum operâ Deum variè usum esse legimus: in devastatione nimirùm* Sodomæ & Gomorrhæ, *Gen. 19. in ejectione* Assyriorum *obsidentium* Hierosolymam, *2. Reg. 19. v. 35. & alibi: sed* dixit, *inquit* Jonas, Iehovah pisci. *Iam cum* Dei dicere sit facere, *ipseq; dicat per verbum sibi* ὁμοούσιον, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, *Joh. 1. v. 3.* per quem & secula fecit, quiq; portat omnia verbo virtutis suæ. *Hebr. 1. v. 2. & 3. tantum spiritu Prophetico gubernata Prophetæ lingua eoipso vult efferre*, *Deus Pater*, *quem fide salvifica in nomine futuri Messiæ invocaverat*, *per filium*

Vers. 11.

Quid sit τὸ dicere Dei.

suum unigenitũ, qui est splendor gloriæ ejus, me ex periculo isto liberavit, hacq; tàm illustri & miraculosa liberatione, quomodò ille totius generis humani Redemtor ergà quemvis etjam affectus sit, specimine longè pulcherrimo venustissimoq; ostendit.

Sic quidèm antiqui scripturæ Interpretes τὸ Dicere Dei *in scripturis multoties interpretantur.* Hieronymus *in Psalmi 32. enarratione ad ista verba* [Dixit & facta sunt] ipse dixit, *inquit*, hoc est, per filium, qui verbum est, dixit. *Tom. 8.*

Athanasius *similiter super eundẽ locum*: dixit, non ut in rebus humanis administer aliquis audiret, auditamquè loquentis voluntatem opere præstaret: Id enim ptoprium est rebus creatis: De verbo autem id cogitare, aut dicere absurdum fuerit.

Est enim verbum Domini architectus & rerum autor, & est Patris voluntas. Atque inde est, quod non relatum est à scriptura, eum vel audisse aliquo modo, vel respondisse, aut qualia tandem ea fieri vellet, percontatum fuisse;

fuisse; sed potiùs dixit DEus; fiat & subintulit, & ita factum est. Nam quod placuit & voluit, id statim verbo perfectum atque absolutum fuit. Cum enim Deus Angelis vel alijs præcipit, vel cum Mose loquitur, aut Abrahæ promissiones facit, tùm is, qui audit, ità respondere inducitur, ut alius dicat, quomodò id scire potero? alius verò, quæso, alium delegas. Habet enim unusquisq; mediatorem, verbum scilicet, & sapientiam Dei, indicantem, quæ sit voluntas Patris. Cum autem ipsum verbum operatur & creat, non est illic aut percunctatio aut responsio; In verbo enim est Pater, & verbum in Patre: *sed* sufficit velle, & perficitur. *Hactenùs Athanasius sermone 3. contra Arianos.*

Secundò recensetetjã Propheta, quonã modo à pisce isto exierit, nimirùm non surripiendo sese furtim è tàm spatioso corpore, aut enatando, sed piscis, *inquit*, evomuit Jonã. *Vomitus indiciũ est imbecillioris, & quidem nauseantis stomachi, qui,* Vers. 11. Vomitus causa.

cum avidius epulis distenditur, & nimia ingurgitatione calor nativus quasi obruitur, cum impetu & indignatione non ea tantùm quæ immodicè ingesta sunt, sed & justam alimenti portionem expuit, & vi quasi expellit, sicuti in ijs, qui luxu quotidiè diffluunt, videre licet. Proindè, quandò Propheta dicit; Piscis evomuit Ionam, hoc significat, usq; adeò aggravatum fuisse immanissimæ hujus belluæ stomachum corpore Prophetæ, ut nauseare inceperit, & omnibus suis viribus, omnique robore advocato, tanquam materiam, quæ prorsus concoqui, & à nativo calore consumi non posset, Prophetam expulerit.

Sic sanè aspecta Prophetæ verba Lectorem mirificè afficiunt, & liberationem Prophetæ summè miraculosam fuisse ostendunt. Si enim ex ordine causarum naturalium gesta hæc essent, jamdudùm Propheta calore tantæ belluæ interno absumtus, aut etjam viscosa materia in ventre monstri istius horridissimi ubertim affluentes suffocatus, sicq; hospiti suo gratum nutrimentum factus fuisset. Quæ omnia, quia singulari Dei, Prophetam sustentantis, provi-

videntiâ, contra vulgarem naturæ cursum impedita sunt, causas & misterium, abstrusissimum conservationi isti miraculosæ omninò subesse, nemo facilè negaverit.

Agnoscit Hieronymus *quoq; emphasin vocis istius, qui quià integram hanc historiam cum morte, sepultura, resurrectione Christi confert, super verbum illud* [Evomuit] *sic commentatur*: quod scribitur EVOMUIT *emphaticoteron* debemus accipere, quod ex imis vitalibus mortis victrix vita processerit, *Tomo 6. operum in Prophetas minores. Cæterùm, hac de re in locis plura.*

Tertiò tandèm non in mare se projectum esse Propheta *asserit, sed ad terram perductum.* Evomuit, *inquit*, piscis Ionam in aridam.

Quo in loco verò Propheta ad terram pervenerit, variant scriptores. Sunt qui existimant in terram sanctam *ipsum delatum esse, idq; propterea, vt eò certior redderetur de Dei erga se paternâ propensione, cujus manuductione singulariter mirabili & mirabiliter singulari tunc se con-*

Ionas quo in loco terræ redditus fuerit.

 serva-

ſervatum eſſe magis agnoſceret, cum videret, aditum ſibi rurſus dari ad templum ſanctum Domini, *in terra Judaica ſitum, à qua ſpe inter tentationes varias prorſus excidiſſe Propheta videbatur.*

Joſephus *Scriptor* Iudaicus *aliter ſentit, cujus hæc ſunt verba*: Ionam autem fertur à ceto devoratum, poſt triduum in Euxinum Pontum revomitum, vivum & toto corpore illæſum fuiſſe, ubi impetrata erratorum à Deo venia ad Nini urbem profectus eſt. *Lib. 9. Antiquit. Judaicarum cap. 11.*

Vtut ſit, utrum Palæſtina, *an verò* Pontus Euxinus Prophetam *è mari & ceto reducem ſuſceperit, inter ea meritò ponimus, quæ* neque ſcire compendium, neque ignorare detrimentum eſt ullum, *ſicut de* docta ignorantia Arnobius *loquitur, lib. 2. Diſput. adverſus Gentes, fol. 107. Sufficit nobis hoc noſcere, quod ſuprà, immò contrà omnem naturæ curſum* Jonas *ſuſtentatus fuit, & ad terram incolumis pervenit, quodq; hæc ejuſdem liberatio reſurrectionẽ Chriſti*, Chriſto *teſte, præfiguravit. Nunc paucis unum atque alterum*

terum locum doctrinæ è Textu eruemus.

LOCI DOCTRINÆ.

I. Admirationem singularem meretur miraculosa illa, & omnes naturæ limites excedens Jonæ *in ventre Ceti conservatio. Cum enim undique purior aër Prophetæ huic interceptus fuerit, sicquè respiratio, sine qua ne ad momentum quidem homo supervivere potest, cessaverit,* Deo Prophetæ vita, *ejusque sustentatio, omnibus causis secundis exulare jussis, unicè adscribenda est. Hoc igitur opus verè ijs annumerari potest & debet, quæ referuntur* inter mirabilia quæ facit in cœlo & in terra, *de quibus inter omnes* David *sæpiùs canit.* Quis, *inquit* Deus magnus sicut Deus noster? Tu es *Deus,* qui facis mirabilia, *Psal. 77. versic. 14. & 15. Itemque alibi:* Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternũ misericordia ejus, qui facit mirabilia magna solus, *Psal. 136. v. 4. &c. Estq; præsens hoc opus in conservatione* Jonæ *exhibitũ æquè & magis miraculosum, quàm sunt reliqua præter naturæ cursũ in veteri*

Jonæ conservatio in ventre balænæ summum est miraculum.

Miracula Dei varia.

& N. Testamento à Deo edita, *qualia notantur*, Victimarum de cœlo inflammatio; Enochi & Eliæ ex hac mortali & animali in spiritualem vitam translatio; *Arcæ* Noæ, *cum omnibus generis animantibus integro anno in diluvij tremendis tempestatibus & fluctibus divexatæ*, conservatio; Linguarum in Babylone confusio; Ægypti *ob detentionem & pressuram populi Israëlitici* varia afflictio; Rubri maris, *quod procellosum, asperum & profundum* Geographi *nominant*, inspe-

Mela lib. 3. de situ orbis, cap. 7.

rata divisio, *aliaq;, quæ penu Biblicum largissimè suppeditat.*

Causæ miraculorum

II. *Causæ verò, cur hujusmodi miracula à Deo sæpiùs edantur, inquirendæ & annotandæ veniunt.*

I. *Prima est hæc, quod insolita ista, supra vulgarem istam consvetudinem facta, insigne testimonium perhibent de Deo, eiusq; omnipotentiâ ineffabili & consilijs planè mirabilibus. Etsi enim universa hæc mundi machina nihil aliud est, quàm concio de Deo, cujus sapientiam totius* Universi *structura verè miraculosa tanquàm in speculo lucidissimo nobis exhibet, tamen non perinde*

inde ad ejus considerationem moventur animi hominum, quàm si quid insoliti, & consveto naturæ cursui minimè conveniens, accidat.

Notat hoc D. Augustinus, *quandò de miraculo in* Cana Galilææ *à* Christo *conversione aquæ in vinum edito, sic scribit:* Ipse fecit vinum in illo die, in nuptijs, in sex hydrijs, quas impleri aqua præcepit, qui omni anno hoc facit in vitibus. Sicut enim quod miscuerunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini; sic & quod nubes fundunt, in vinum convertitur opere eiusdem Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit, assiduitate amisit admirationem. *Et paulò post:* Quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent laudem quotidiè creatori, servavit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad se colendum mirabilius excitaret. *Tractatu 8. in Iohannem.*

Secundò, testatur hisce & similibus miraculis Deus omnipotens, se esse liberrimum 2.

mum agens, & causis secundis naturaq; legibus non ità, sicuti Stoici quidam fingebant, affixum, vt aliter agere non possit. Propterea etsi quidem Solis est officium, spatio 24. horarum cœli ambitum emetiri, maris natura, instar corporum gravium deorsùm vergere & diffluere, Deus, qui ad has conditiones & leges in natura à se positas alligatus non est, Solem quandoque stare immò retrocedere. Ios. 10. versic. 13. 2. Reg. 20. versic. 11. Esa. 38. versic. 8. & aquam muri instar sese attollere cogit, Exod. 14. versic. 22. & 29. sicq; facti veritate declarat, se, vt Poëta inquit, non esse numen, Parcarum carcere clausum. Quale putabatur Stoicus esse Deus.

3. Tertiò, fiunt & hujusmodi miracula & à Spiritu sancto in scripturis annotantur, vt illa ipsa scripturarũ in nobis certitudinem majestatemq; confirment, eamq; ab alijs doctrinarum generibus secernant. Ideò enim inter fulgura & tonitrua legem suam Iudæis promulgavit Dominus, vt memores horridissimæ istius tempestatis perpetuò mandatorum divinorum majestatem sibi ad animum revocarent, ijsque promtissimè obsequerentur. Sic

Sic quoq;, cum Evangelij prædicatio ad omnes omninò populos & nationes ab Apostolis perferenda esset, itidem miraculis quibusdam eam primò stabilire, & concionem illam de Christo crucifixo, quæ quidem Iudæis scandalum erat, gentibus autem stultitia videbatur, *1. Cor. 1. vers. 23. illustrare Deus voluit.* Signa, *inquit* Christus, eos qui crediderint, hæc subsequentur; in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, &, si mortiferum quid biberint, eis non nocebit. *Marc. 16. v. 17.*

Ad hanc causam respiciens Chrysostomus; Quandó, *inquit*, novum fit aliquid atq; inopinatũ, & politiæ cujusdã introductio, signa Deus facere consuevit, præstans quædã pignora suæ potentiæ, & autoritatẽ mandatis suis præstruxit claritate signorum. *In Com. super 4. c. Matth.*

Quartò, Miracula ista notæ quandoque sunt vocationum à Deo profectarum, sic, ut Deus per illa Doctoribus à se missis autoritatem conciliet, illorumq; vocationem merè divinam esse testetur. Cum Mosen 4.

ablega-

ablegaret in Ægyptum, ad educendum populum Israëliticum, instruit illum tribus miraculis, quibus vocationem suam à Deo esse Pharaoni, & populo Israelitico probare posset, Exod. 4. Similiter, cum à secta Core, Dathan & Abyron ejusdem missio divina rursus in dubium vocaretur, novo miraculo eam Dominus confirmat, quando dictos seditionis authores unà cum omnibus ijsdem adhærentibus terra dissiliens devoravit. Num. 16. versic. 32 Quinimmò ipsi Judæi in miraculis & prodigijs à Christo editis se de missione ejus à Deo facta certos esse volentes nolentes fateri cogebantur. Scimus Rabbi, dicit Nicodemus ad Chtistum, quod à Deo exieris; nemo enim potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, Ioh. 3. vers. 2. Et dubium non est, præsentem etjam Prophetæ nostri conservationem satis miraculosam, & ipsum Prophetam sæpè in curriculo officij seu inter varias perturbationes, quæ tanquàm individuus comes ordini Ecclesiastico adhærent, erexisse, & in auditoribus, quoties eam à Propheta narrari audirent, fidem mirificè confirmasse,

mâsse, eorumq; animos ad seriam pœnitentiam acriùs excitâsse.

Hæ sunt præcipuæ miraculorum à Deo editorum causæ, quibus, si quæ sunt aliæ, quilibet eas propria industria addet

III. Piscis istius magni subitaneum obsequium, nutui & voluntati divinæ præstitum quanta, quamq; reverenda ac tremenda sit eius, qui omnia condidit, Dei videlicet Opt. Max. majestas atq; potentia, luculenter ostendit. Neq; enim, quod in humanis fieri consuevit, aut recalcitrâsse, aut cunctatam esse, sicq; demùm secundo tertióve mandato beluam istam paruisse Propheta annotavit, sed sicuti anteà, Deo jubente, Ionam promptissimè & celerrimè deglutiverat, ità nunc eodem rursus mandante, quem anteà absorpserat, illæsum celerrimè expuit, & terræ reddit.

Hoc nimirùm est, quod Psaltes regius prædicat, sic parere omnia Deo jubenti, ut ipso dicente fiant, mandante creentur, Psal. 33. v. 9. Et Deus ipse in regimine monstrorum marinorum atq; terrestrium admirabili vult conspici majestatis suæ vestigia: Ecce, inquit, Behemoth, quem

feci tecum, fœnum quasi bos comedet; *Et paulò pòst eodem in loco*: An extrahere poteris Leviathan hamo, & funè linguâ ejus ligabis? nunquid pones hamum in naribus ejus & acu perforabis maxillam ejus *Iob 40. vers. 19. 20. 21.*

Proindè ad tanti rectoris majestatem animos nostros excitemus, serviendo eidem in timore, & exultando cum tremore, *Psal. 2. vers. 11.* nosq; humiliemus sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis, *1. Pet. 5. versic. 6.*

Liberatio Ionæ è ventre piscis misericordiæ Dei testimonium est.

IV. Non tantùm carcer iste Ionæ, *in quo triduum detinebatur, Iustitiæ Dei, peccata punientis est indicium: sed & liberatio hæc inopinata ejusdem misericordiam manifestè ostendit. Quod utrumq; Dei proprium deprædicat.* Anna, *mater* Samuelis *dicens*: Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit; Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat. *1. Sam. 2. versic. 6. Et Deus ipse idem de se testatur*: Videte, *inquiens*, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus mecum, ego occido, & vivere

vere facio, vulnero & ego sanabo, Deut. 32. versic. 39. Quam sententiam senior Tobias totidē penè verbis recensēt, quandò Deum & flagellare & salvare, ad inferos deducere & reducere pronunciat. Tob. 13. vers. 2.

Hæc actionum divinarum vicissitudo probè notata, ad θεοδίαν & παραμυθίαν non parùm prodest. Sicuti enim ad cōsiderationem justitiæ divinæ toti cohorrescimus, quippè à quâ damnamur, & in æternum exilium proscribimur, sic vicissim ad misericordiam illam Dei infinitam nos convertentes, consolationem percipimus non exiguam, scientes inde, quòd peccatorum punitio opus sit Dei alienum, misereri vero eiusdem proprium, Esa. 28. v. 21. quodq; sic puniat Deus, vt in ira, etjam memor suæ misericordiæ existat.

V. Ionæ liberatio typus admodùm est conspicuus Resurrectionis Christi à mortuis, quem non humana sagacitas, aut ingeniorum lubrica licentia effinxit, sed qui à Christo ipso Salvatore nostro dulcissimo demonstratus est. Scribus enim, Resurrectio Christi à mortuis à Iona adumbrata.

& Pharisæis signum curiosè petentibus, ex quo dignoscerent, utrum Messias verus esset Jesus *ille* Nazaræus, *nec ne?* generatio hæc, *respondet Christus*, mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi Ionæ Prophetæ, *Matth. 12. versic. 40.*

Non autem in universum nunc commonstrabimus, quomodò Ionas *prædicatione sua inter gentes, & triduana illa in utero ceti custodia Salvatorem Christum, eiusq; Evangelium ad gentes missum adumbraverit, sed potißimùm ex ultimo hoc secundi capitis versiculo, quàm eleganter is Resurrectionem Salvatoris præmonstraverit, transferendo typum ad antitypum, breviter adaperiemus.*

Collatio Christi resurgentis cum Iona.

Primò igitur (ut typi ἐξήγησιν perpetuò præmittamus) notabile est, quod versu 1. capitis secundi Prophetæ dixerat; hoc fine à Deo productum piscem istum magnum, ut deglutiret Ionam, quod clariùs reddiderunt septuaginta *dicentes*; deglutijsse Ionam cetú à Deo ordinatum; κατέπιεν, *inquiunt*, τὸν Ιωνὰν: *qua voce illud significatur, quod piscis iste suum officium segniter*

ter haud quaquàm fecerit, nec Mandato Domini tardiùs obsecutus sit: sed quod Prophetam tanta aviditate receperit, & intra viscera recondiderit, tantoq; hiatu & rictu perquàm vehementi absorpserit, quasi nunquàm ipsum rursus redditurus esset.

Congruit hoc primò cum omnibus circumstantijs mortis & sepulturæ Salvatoris nostri meherculè eleganter. Is enim cum in ara crucis expirâsset, & animam suam Patri cœlesti commendâsset, dubium non est, summâ cum aviditate mortem corpus Christi, suâ quidem naturâ immortale, invasisse, bonâ spe freta, fore, vt iste mortis & Satanæ Antagonista nunquàm resurgeret, sicq; opus redemptionis generis humani plenè non perficeretur: quinimmò scribæ & Pharisæi à morte & Diabolo agitati eo fine sepulchrum Christi custodia & sigillo judicij communiri curârunt, vt vel sic testarentur, quàm benè sperarent de omnimodo Salvatoris nostri interitu, decq; evacuatâ promissione Resurrectionis, tertio post mortem die futuræ. Quemadmodùm enim instar rapientis & rugientis

Leonis, Christum in cruce pendentem Judæi dilacerare atq; conterere annixi sunt, sic & mors pari vehementiâ Salvatorem procul dubio adorta fuit, sciens, si hunc vitæ Dominum debellâsset, tùm se plenum dominium in omnes omninò mortales obtenturum.

2. *Deindè quoq; sicuti belua hæc marina per universam suam potentiam Prophetam atterere atq; consumere non potuit, sed cum nausea & vomitu horribili eundem terræ reddere coacta est: sic quoq;* impossibile erat, Dei & Mariæ filium teneri à morte. *Actor. 2. v. 24. siquidem non concessurus erat Deus, ut* derelinqueretur anima Christi in inferno, aut caro ejus videret corruptionem *Actor. 2. v. 31. Atq; huc spectat insignis & glorioßißimus ille de Resurrectione Christi triumphus, ab* Osea *jam ante complures annos decantatus, & vomitui balænæ hujus exactè correspondens:* Ero, *inquit* Salvatoris *nomine* Oseas, pestilentia tua ô mors, ero lues tua ô inferne. *Ose. 13. versic. 14. Quæ verba feliciùs reddens* Apostolus, *sic omninò evacuatam & annihilatam fuisse mortis*

potesta-

poteſtatem narrat vt ne quidẽ mors Chriſto *vel tantillum nocere potuerit, ſed ipſa potiùs à* victoria validiſsimè abſorpta fuerit. *1. Cor. 13. verſ. 55.*

Porrò & in eo Reſurrectioni Chriſti cum liberatione Prophetæ pulchrè convenit, quod Propheta narrat, ad mandatũ Dei, ſe à balæna ejectum & terræ reſtitutũ eſſe: Sic Chriſti quoq; reſurrectionem proceſſiſſe, illumq; à Patre & per gloriã Patris excitatum eſſe, ſcriptura aliquoties confitetur. Apoſtolus Paulus ad vitæ novitatem Romanos exuſcitans, cum Chriſto, quem à Patre *ſeu per* gloriam Patris reſuſcitatum eſſe *ſcribit, ijs quoque reſurgendum docet, Rom. 6. verſic. 4. Idem alibi teſtatur,* Deum Patrem ſecundum operationem potentiæ virtutis ſuæ operatum eſſe in Chriſto Ieſu, ſuſcitando à illum mortuis, *Epheſ. 1. verſic. 20.* 3.

Chriſtus dicitur reſurrexiſſe 1. virtute Patris ſui.

Tandem quod Deus Pater Dicendo, *hoc eſt, per & in Filio* Jonam *è ventre ceti eduxit; ſicquè ipſe* Filius Dei *Prophetam à ceto abſorptum liberavit, illudipſum reſur-* 4.

resurrectionem Christi hoc quoq; nomine admodùm convenienter adumbrat, quod propriâ sua virtute Salvatorem nostrum resurrexisse cum scriptura (idem non in uno loco confirmante) adstruit. Huc enim referendum est, quod Salvator noster de sua resurrectione, propriâ virtute perficiendâ, ipsemet commonstraverat, quandò triduo elapso templum suum se reædificaturum, seq; potestatem habere ponendi animam & resumendi, dixerat, Iohan. 2. v. 18. cap. 10. v. 18. Quod ipsum rursùs attendens Apostolus Paulus, Christum dicit ex resurrectione à mortuis declarâsse suam omnipotentiam, *quod sit genuinus & Dei filius. Rom. 1. v. 4. Qui plura ad hunc locum communem congerere volet, consulat is librum 3. Harmoniæ Evangelistarum* Chemnitij, *eiusq; partem secundam cap. 59. fol. 231.*

II. Virtute propria.

VI. Confirmatur ex hac typi & antitypi collatione, nostra et jam ex mortuis resurrectio, quæ à resurrectione Christi (liberatione Ionæ tanquàm delineatione quadam venustissimâ adumbrata) vi immediatus effectus dependet. Si enim, *inquit Aposto-*

Apostolus Christus prædicatur, quod à mortuis resurrexit, quomodò quidam dicunt, resurrectionem mortuorum non esse? *1. Cor. 15. v. 12. Et verè quidem ità infert D. Apostolus: est enim in Christo homine unicuiusq; nostrum caro, sanguis & portio.* Ubi ergò portio mea regnat, regnare me credo, ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio, ubi glorificatur caro mea, gloriosum me esse cognosco; *vt valdè eleganter* Maxentius *alicubi loquitur. In sermone de Patientia. In omnibus itaq; curis & necessitatibus ad Christi resurrectionem confugientes, spe nostræ resurrectionis, indè dependentis, nos exigamus, per illam æternæ vitæ ineffabilibus gaudijs nos æternùm fruituros, fide salvificâ teneamus.*

Nostra ex mortuis resurrectio est effectus resurrectionis Christi.

ENARRATIO CAPITIS TERTII.

Argumentum & Dispositio.

DEscripsit hactenùs Prophetæ Jonas *fortunã suam admodùm mirabilem, & quomodò ex varijs periculis, ipsaq; morte Dei omnipotentis auxilio eluctatus sit, narratione compendiosâ aperuit; nunc porrò secunda vice se ministrum Ecclesiæ Ninivitic æ non tantùm à Deo designatum esse, sed & partes ministerij successu minimè asperãndo in se recepisse, tertio hoc capite commemorat. Vtq; hujus quoq; Capitis sensum genuinum rectè assequamur, & textus enarrationi, locorumq; pertractationi viam quandam compendiariam sternamus, in tres partes dicti capitis contenta dispescemus.*

I. Denuò repetitam & à Jona susceptam vocationem considerabimus.

II. Quem Jonæ prædicatio effectum habuerit, & quantoperè fructificaverit, aperiemus.

III. Tandèm, quomodò Deus Ninivitis

vitis, consideratione seriæ ab illis peractæ pœnitentiæ, pepercerit, & justam, quam eis anteà minitatus fuerat, pœnam retraxerit, commonstrabimus.

PARS PRIMA.

Paraphrasis.

IDem ille Deus, *qui paulò antè jusserat* Jonam *prædicare in* Ninive *ex decreto & consilio suo semel firmato vocationem à* Iona *temerariè antehac desertam, denuò repetit, sicq; jam altera vice Prophetæ injungit, ut* prædicet in Ninive, civitate magna. Vers. 1. & 2.

Est etjam utrobiq; tàm in prima, quàm in secunda, legatione idem mandatum, eadem instructio, nisi quod secunda clariùs aliquantulùm est expressa, ubi dicitur Prophetæ : Prædica prædicationem, quam ego loquor ad te ; *quæ verba videntur animare Prophetam, ut cogitet, non esse humanum opus, prædicare in* Ninive, *sed illud divinitùs regi, sic ut verba, à Propheta prolata, sint ipsius*

ipsius Dei, vtq; eò minus sibi metuat à Ninivitis, quos, si se Prophetæ opposituri essent, nihil aliud agere sciret, quàm solent ij, qui cœlum vesanâ gigantomachiâ expugnare, & Deo contradicere non verentur.

Qualis verò fuerit hæc prædicatio, à Deo Prophetæ suggesta, paulò inferiùs ex versu 4. cognoscitur, ubi Ionas *clamâsse legitur;* adhuc 40. dies supersunt, & Ninive subvertetur. *Scitè autem hoc in loco accommodari potest,* Ionæ, *tritum illud adagium, quod de ijs, qui, ubi prius lassi sunt, rectiùs demùm sapere incipiunt, usurpari solet;* Piscator ictus sapit. *Antehac enim vocatus, vt ministerij partes inter Ninivitas susciperet, ipse fugâ se salvare adnititur, & navem conscendit; quæ fugâ, quanti* Jonæ *constiterit, & ad quas angustias miserum Prophetæ pectus adegerit, ipse capite secundo in ventre piscis depinxit. Suo itaq; periculo edoctus, quàm durum sit Deo recalcitrare, nunc dicto obediens* surrexisse, in Niniven abijsse, juxtaque verbum Domini omnia ibidem peregisse legitur. Vers. 3.

Notat.

Notat quoq; tacitè, & ὡς ἐν παρενθέσει Propheta provinciæ sibi à Deo demandatæ molestam, & planè laboriosam conditionẽ, quam duabus potissimùm circumstantijs exaggerat; quarum prima est, urbis, ad quam propheta missus est, magnitudo; Ninive, *inquit*, erat civitas magna itinere trium dierum, *sive vt Ebræus textus habet* [Ir gedolah lelohim mahalac scheloscheth iamim.]

Hæc verba interpretes non uno omninò sensu accipiunt; Initiò namq; de amplitudine urbis inter illos non convenit; siquidem Hieronymus *in ea est opinione*, Ionam, *quandò* Niniven civitatem *magnã itinere trium dierum nominat, ad ambitum urbis respexisse, quem interveniente demùm trium dierum spacio quis emetiri potuisset; & porrò, cùm legimus* Ionam *introijsse civitatem itinere diei unius, ità festinãsse Prophetã censet, vt quam viam alij triduo integro percurrendo assequi non potuissent, ipse uno die vehementi festinatione emensus sit. Verba eius sunt hæc:* Ninive erat, ad quam pergebat Prophetã, civitas magna, & tanti ambitus, ut

Tom. 6. operum.

Magnitudo Nivies.

vix

vix trium dierum itinere posit circumiri: At ille præcepti, & superioris naufragij memor, viam trium dierum unius diei festinatione complevit. *Hucusque Hieronymus.*

Ab hoc Lyra *dissentit (in 3. parte Postillæ) idq; ex hoc fundamento:* Secundùm sacram scripturam, *inquit*, & historiographos, Babylonia excessit omnes alias civitates in magnitudine, in tantum, quod Philosophus dicit de ea, quod non erat proprie civitas, sed regio, clausa muris, & tamen, secundùm Hieronymum, circuitus murorum habebat triginta duas Leucas, quæ non faciunt tres dietas, completè, & ideò melius videtur dicendum, quod istæ tres dietæ sint dicendæ, procedendo pervicos civitatis ubiq;. *Hæc Lyra.*

Cum hoc quoq; facit B. Lutherus: *Quos ideò libentius sequimur, quod horum interpretationi propius videntur accedere sequentia verba, quibus Propheta civitatem itinere unius diei introïsse*

ijsse dicitur; cum verisimile sit, non juxta muros, sed in foro & plateis, ubi maxima hominum multitudo congregata fuit, concionem suam Jonam *instituisse; sicq; quantum lento passu ex una platea in alteram commigrando, uno die emetiri potuit, concione sua verè legali replevisse,*

Deindè in allegatis verbis & hoc observatione dignum est, cur civitatem adeò flagitiosam, & vitiorum cumulo propè contectam, de qua superiùs cap. 1. pronunciaverat Deus, κραυγὴν τῆς κακίας Ninivitarum ad se in cœlum ascendisse, *hoc in loco* civitatem Dei *Propheta nominet.*

Ninive cur civitas Dei dicatur.

Lutherus existimat, id primò fieri eò, quòd DEus *missione specialis cujusdam Prophetæ tam clementer civitatem hanc respexit, eamque ad veram sui agnitionem convertit. Deinde putat adhuc fuisse in ipsa* Ninive *quosdam, salutari de Deo scientia imbutos, sicuti in veteri Testamento nonnunquã aliqui, licet admodùm pauci, è gentilitate populo Dei adjuncti fuerunt, ut sunt;* Ruth, Rahab, Nae-

Naeman Syrus &c. *His tertia etjam causa addi potest, quod ob generalem illam rationem, juxta quam omnes creaturæ, immò ipsi etjam Diaboli Deo subjecti sunt, civitas Dei, tanquàm locus, & homines à Deo conditi dici queant; quo quidem sensu regius Psaltes* terram & omnem eius plenitudinem, orbem terrarum, & universos, qui habitant in eo, *Domini esse, expresè pronunciat. Psal. 23. v. 1.*

Secunda circumstantia, qua gravitatem muneris sibi concrediti Ionas *exaggerare videtur, promanat ex formula illa concionis, à Deo Prophetæ suggesta, quæ nihil aliud quàm fulminantis legis tonitrua continebat, quaq; temporale simul & æternum exitium Ninivitis, ni intra 40. dies ad Dominum reverterentur, indicebatur. Hujusmodi conciones quàm sint mundo odiosæ, & quantâ cum indignatione eas unà cum suis auditoribus excipere, quomodoq; fideles Ecclesiæ ministros legalium sermonum nomine traducere & sugillare soleat, satis est notorium; ut hinc quoq; de periculosa* Ionæ *conditione nemini dubium esse possit.*

Non

Non autem existimandum est, totidem solummodò verbis & syllabis Ionam *suam concionem legalem protulisse, sicuti hoc loco descripsit, sed procul dubio longum illum omnis generis vitiorum catalogum, quem Apostolus Rom. 1. gentibus assignat, Ninivitis examussim competere ostendit, accusans illos, quòd, cum ex lumine rationis de Deo aliquid cognovissent, eundem tamen* ut Deum non glorificaverint, sed mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atq; sic traditi sint à Deo in desideria cordis sui in immunditiâ, ut contumelijs afficiant corpora sua mutuò; quodq; repleti sint omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, pleni invidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate &c. *Rom. 1. v. 23. & sequentibus. Dehinc, quantopere justitia Dei, in lege declarata, omnia hujusmodi facinora detestetur; & omnibus talia perpetrantibus aternam damnationem & maledictionem denunciet, patheticâ & verè oratoriâ voce explicuit, non sine ingeminatione re-*

Ionas qualem in Ninive concionem habuerit.

censens rigorosam illam legis appendicem, qua maledictus dicitur omnis, qui non fecerit omnia, quæ scripta sunt in legis libro, Gal. 3. v. 10. quò & retulit sæva illa pœnarum divinitùs inflictarum exempla, ex sacris & prophanis historijs petita, totius nimirùm mũdi per diluvium submersionem, Sodomæ & Gomorrhæ (civitatum igne cœlesti absumtarum) devastationem, Pharaonis in mari rubro interitum, & alia complura.

Tandem in specie quid de Ninivitis Deus constituisset, aperuit, illisq; terminum exitialem, quadragesimũ ab inchoata prædicatione diem, Dei loco denunciavit: Quæ omnia magno Spiritu à Prophetâ prolata esse, sic, ut ob hanc unicam concionem υἱὸς βροντῆς cum Iacobo Zebedæi & Iohanne Marc. 3. v. 18. non immeritò nominari potuerit, nemini dubium esse debet.

Pro conclusione Paraphraseως primæ partis notetur corruptela textus Ebræi 70. Interpretum, qui pro 40. diebus, quorum Ebræus textus voce [Arbaim] meminit, substituerunt triduum, quæ dissonantia utrum

trum incuriæ scribæ, an verò alteri cuipiã secretiori causæ imputanda sit, in medio relinquimus, & cum Augustino *studiosè septuaginta dissensum à fonte Ebræo excusante pronunciamus:* Si à nobis quæratur, quid horum Ionas dixerit, hoc putamus potiùs, quod legitur in Hebræo; Quadraginta dies, & Ninive subvertetur, *lib. 18. de civit. Dei, cap. 44.*

LOCI DOCTRINÆ.

I. *Quod denuò verbo* Domini Ionas *ad Ninivitas ablegatus esse legitur, commonefacit nos hocipsum de summo ministerij authore, ministros verbi emittente. Hic non est Imperator, aut magistratus aliquis secularis, aut creatura quædam præpotens; sed solus Deus, qui jus vocandi ministros Ecclesiæ sibi ità vendicat, ut nulla vocatio vera habenda sit, quæ ab ipso Deo non proficiscatur. Ipse enim cum* Dominus sit messis, *eius quoq; est* extrudere operarios in messem suam, *Matth. 9. versic. 38.* & dare pastores juxtà cor suum, qui pascant Ecclesiam scientia & doctrina. *Jer. 3. versic. 15.*

Author & Dominus ministerij non est aliqua creatura sed solus Deus.

Atq; hoc quidem non tantùm in ijs vocationibus præstat, quas ipse immeditatè dirigit, vel ipsemet nominando personam, vel à se nominatam per Prophetam aut Apostolum advocando, aut per sortem adsciscendo; sed mediatis quoq; vocationibus sic præest, vt quantumvis per homines eæ offerantur, Spiritum sanctum tamen mediatè vocatos ad pascendum Ecclesiam Dei posuisse, scriptura perspicuè asseveret. Act. 20. v. 28. Quinimò filius Dei ab Apostolo super omnes cœlos ascendisse, & quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores *(quibus nominibus tàm mediatè, quàm immediatè vocati promiscuè designantur)* dedisse prædicatur, Ephes. 4. vers. 11.

Mediatæ vocationes quoq; sunt divinæ.

Hocipsum insignem consolationem præbet omnibus & singulis hodiè etjamnùm in ministerio degentibus. Sciens namq; vocationem suam divinitùs dirigi, & à Deo provenisse, non facilè succumbit in adversitatibus, ministris Ecclesiæ cumulatim advenientibus, sed gloriatur etjam in tribulatione, Rom. 5. versic. 3. & verâ fidei

πεφ-

παῤῥησίᾳ pronunciare potest; Si Deus pro me, quis contrà me, Rom. 8.

II. Hac occasione oblatâ, quià multi hodiè illegitimè & inordinatè ministerio sese ingerunt, de quibus jam olim Deus conquestus est apud Prophetam, dicens; quod non missi currant, Jerem. 23. vers. 21. operæ pretium nos facturos existimabimus, si, unde nunc temporis de mediata vocatione, utrum ea divina sit, nec ne, legitima, an legitima? alicui constare possit, paucis aperuerimus.

Hoc ut commonstremus, unicum solummodò, idq; ut speramus, apodicticum proferemus argumentum, circa cujus resolutionem res ipsa reddetur satis manifesta. Est autem illud tale:

Conditiones legitimæ vocationis.

Ejus vocatio, quæ de comunni omnium, quorum interest, consensu communicata est, legitima, adeoq; mediatè divina censeri debet. Atqui, quæ à Magistratu, suffragante Ecclesia & ministerio, communicata est, consensum omnium continet, quorum interest.

Ergò hujusmodi vocatio pro legitima & divina omninò reputanda erit.

De Majoris evidentiâ non potest esse dubitatio, cùm in ijs, in quibus Deus mediatè nobiscùm agit, à Deo recedere dicendi non simus, quam diù medijs, ab ipso concessis, insistimus, ijsq; justo ordine & modò, à Deo ipso præscripto, utimur.

Minor verò, in qua totius argumenti nervus consistit, paucis enucleanda & declaranda erit. Requirit autem ea ad sui probationem, ut jus vocandi ministros Ecclesiæ non ad unum aliquem tantùm in Ecclesia simpliciter & absolutè pertinere, sed totius Ecclesiæ & singulorum in ea membrorum ac ordinum esse, paucis commonstremus.

Jus vocandi ministros Ecclesiæ, est totius Ecclesiæ.

Et initiò quidem valet hîc generalis illa Regula qua dici solet: Id esse ab omnibus curandum, quod concernit omnes. *Jam verò ex tribus potissimùm ordinibus, Magistratu putà, Ministerio, & reliquis auditoribus cùm Ecclesiæ nostræ nunc temporis constent, nullum horum à vocatione excludendum, sed cujusvis status consensum ad eam requirendũ indubiè refertur.* 1.

Præterea, si judicium de doctrina, ejusq; puritate non uni in Ecclesia ordini, 2.

sed

sed toti Ecclesiæ concessum est, vtiq; an purus sit in doctrina futurus Ecclesiæ minister, & consequenter vocandus, an secus? judicium omnium Ecclesiæ partium studiosè investigandum est: At verò istud de doctrina judicium non unius, alteriusve saltem esse scriptura multoties perhibet; judicate vos *(Corinthiacam Ecclesiam alloquitur)* quod dico, *inquit Apostolus 1. Cor. 10. v. 15. Idem alibi:* Prophetæ duo aut tres dicant, & cœteri *(Corinthiacæ nimirùm Ecclesiæ cives)* dijudicent, *1. Cor. 14 v. 29. Eundem in modum* Johannes *promiscuè Ecclesias monet*, ne omni Spiritui credant, sed Spiritus, utrum ex Deo sint, probent, *1. Ioh. 4. vers. 1. Similia vide Matth. 7 v. 15. 1 Thes. 5. v. 20. &c.*

Porrò cùm in Ecclesia juxtà tenorem 3.
Symboli Apostolici credamus sanctorum communionem, *Ministerium verò publicum, quod est salutare illud, & plusquàm aureum gratiæ divinæ ὄχημα, non inter postrema Ecclesiæ militantis bona sit numerandum, sacrilegiũ meherculè fuerit, ejus constitutionẽ uni alterive in Ecclesia vendicare, sicq; aliqua Ecclesiæ membra libertate à Deo concessa privare velle.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0315
DFG

4. *Tandèm, si ad praxin primitivæ istius in vitâ & doctrinâ purioris Ecclesiæ respiciamus, de communi consensu, non verò ad placitum unius atq; alterius Ecclesiæ ministros constitutos esse, longè est certissimum: Diaconi certè ob murmur* Græcorum *adversùs* Hebræos *ab Apostolis, partim ad verbi prædicationem, partim etjam ad eleemosynarum distributionem electi, officio non nisi communi multitudine præfecti sunt. Convocata enim per duodecim Apostolos discipulorum seu civium Ecclesiæ ejusdem temporis* multitudine, *& conventus tàm conspicui causâ ab Apostolis exposita, non Apostoli tantùm, sed* πάντες τὸ πλῆθος ἐξελέξαντο στέφανον, φίλιππον, *& cæteros ibidem designatos. Actor. 6. v. 5. Pari ratione legimus,* Paulum & Barnabam Antiochiæ *& reliquis vicinis Ecclesiis, non privato suo arbitrio, & ex plenitudine potestatis Apostolicæ, sed per suffragia (hæc enim* χειροτονίας, *cujus inibi fit mentio, vis & significatio) presbyteros singulis Ecclesiis constituisse, Actor. 14. v. 22. Atq; hoc etjam & non alio modo* Barnabam, *peregrinationis Pauli comitem*

tem & Apostolici muneris collegam delectum fuisse, Apostolus expresse subindicat, dicens; quod fuerit χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, communi Ecclesiarum suffragio deputatus, 2. Cor. 8. v. 19.

5. Huc quoq; apportandæ sunt insignes illæ Patrum gnomæ, quibus vocationes, à Magistratu, aut alijs, contra Ecclesiæ voluntatem extortas, tãtoperè improbant, & sine expresso auditorum consensu officijs Ecclesiasticis neminem præficiendum esse, magnâ vehementiâ urgent. Si quis Episcopus, inquiunt illi, ob antiquitatem Apostolis assignati, Canones, secularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant, Tom. 1. Concil. can. 31.

Plebs, dicit Cyprianus, ipsa maximè habet potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignos atq; idoneos publico judicio ac testimonio comprobetur, lib. 1. Epistolarum, Epist. 4.

Idem alibi; Tùm demùm Episcopum in defuncti locum substitutum esse, asserit, quandò universi populi suffragio electus fuit. *lib. 1. Epistolarum, Epist. 3. Eadem vide apud eundem lib. 2. Epist. 5. Apud* B. Lutherum, *Tom. 2. Jenensi, pag. 578. & cæteros.*

Hæ sanè in medium allatæ rationes, jus vocandi ministros totius Ecclesiæ sufficienter demonstrant. Illud saltem hoc loco notetur, vocem Ecclesiæ *in præsenti quæstione diversimodè sumi: Quandoq; enim omnia & singula παροικείας alicujus membra & individua designat sic, ut ne ullus quidem, abjectissimæ etiam sortis & conditionis homo excludatur: nonnunquàm certos tantummodò ordines, sub quibus tamen omnia & singula individua continentur, denotat, sicq; suo ambitu magistratum, ministerium & populum, ceu aliquos ex multitudine omnium nomine loquentes, comprehendit. Cum itaq; quæritur: utrum jus vocandi ministros Ecclesiæ sit totius Ecclesiæ? ad prioris vocis acceptionem minimè respicimus, sed de posteriori tantummodò loquimur. Impossibile enim foret,*

Vox Ecclesiæ quandoq; pro potiori Ecclesiæ parte sumitur.

foret, & admodùm ἄτακτον, omnium & singulorum individuorum opiniones conciliare & ad unum scopum dirigere.

Quo verò ordine consensus cujusvis partis requirendus sit, & cujus de persona vocanda judicium prævalere debeat, non eadem omnium est sententia. Cujus votum in vocatione prius.

Nos quidem Magistratui (si videlicet ipse Christianus sit, & de hujusmodi Ecclesiæ pastoribus prospiciat, qui in doctrina puri sunt) eò quòd eius est, nutricium Ecclesiæ *agere, Esa. 49. vers. 23. &* attollere portas, ut intret Rex gloriæ, *Psal. 24. versic 7. & 9. itemq; ministros Ecclesiæ defendere; directionem vocationum præmissorum officiorum nomine libenter relinquimus.*

Deindè verò cum de eruditione & orthodoxiâ Ministerium sive Doctores Ecclesiæ omnium accuratißimè poßint ferre judicium, horum quoque consensum & approbationem, antequàm communicetur vocatio, à Magistratu obtinendam esse, nemini in præmissas rationes, quibus jus vocandi omnibus Ecclesiæ ordinibus, & sic suo quoque modo ministerio competere Ministerij est judicare de donis & eruditione vocandorum.

petere, monstratum est, consentienti, dubium esse potest.

Denique ubi Magistratus, & Ministerij voluntas in persona vocanda concordat, auditorum quoque mens, ne quis invitis detur, exquirenda est, quibus si itidem persona à Magistratu nominata, à Ministerio verò approbata, & quidem certis de causis placuerit, vocationem hujusmodi personæ communicandam esse, eamque per id, quod consentientibus omnibus, quorum interest, impetrata fuit, divinam nominari debere, longè est certissimum.

Ex his omnibus patet, immanem & prorsùs intolerabilem esse tyrannidem, quandò Pontifex Romanus unà cum rasis & unctis suis Episcopis jus illud vocandi Ecclesiæ ministros sibi tantummodò vendicat, quam tyrannidem, quomodò Papicolæ defendant, ex cap. 4. & 7. libri 1. de Clericis Roberti Bellarmini pleniùs licet cognoscere.

Detestanda quoque est Politicorum quorundam modernorum praxis, quæ neque consulto ministerio, neque explorato auditorum consensu potestatem vocandi ministros Ecclesiæ

clesiæ ad se unicè rapere non verētur; quos omnes in fundamenta paulò antè prolata impingere, & media divinitùs ordinata temerariè turbare, res ipsa loquitur.

III. *Quod* Ionas *neq; fugâ munus concionatoris Ninivitici à se avertere, neque inter tot immania pericula, Deo ipsum ad officium pastorale obeundum reservante, perire potuit: sed voluntati divinæ tandèm morem gerere coactus est, eo ipso quàm omninò irriti sint conatus hominum voluntati divinæ resistentium, perspicuè erudimur.* Non enim, *inquit*, Salomon, est sapientia, non est prudentia, non est consilium adversùs Dominum, *Proverb. 1. v. 30. Quinimmò voluntati & consilio Dei resistere* θεομαχίαν *nominat*, Gamaliel, Senator ille Hierosolymitanus, *eaq; quæ à Dei volūtate profecta sunt opera, nullis hominum studijs dissolvi posse, cum contrà humani conatus facillimè subverti possunt, clarissimè testatur Act. 5. versic. 39.*

Huc referenda est salsa illa & pluquàm sarcastica irrisio gentium contrà Deum conspirantium: Inite consilium, *dicit* Dominus,

minus, & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Emanuel, *Esa. 8. vers. 10.* *Itemq; alibi:* Adstiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum; consultant simul adversus Dominum, & adversus Christum eius, dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipsorũ; qui habita in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. *Oremus itaq; perpetuò:* Fiat voluntas, non nostra, sed Domini; nosq; humiliemus sub potenti manu Dei, ut nos in tempore visitationis exaltet, *1. Pet. 5. vers. 6.*

IV. Instructio, Ionæ *communicata, Pastores Ecclesiarum de amussi & cynosura concionum ad populum habendarum perquàm pulchrè commonefacit. Sicuti enim* Ionæ *hoc loco liberum non reliquit Deus, ut quidvis pro arbitrio prædicet, sed* quæ ipse Prophetæ suggesturus erat, *ea tantummodò Ninivitis vult significari, ità meminerint ministri Ecclesiarum, sibi non licere ex proprio cerebro quidvis comminisci, & pro concione à scripturis Prophe-*

Amussis, ad quam concionatores suas examinare debent.

pheticis & Apostolicis, in quibus Deus nunc temporis nobiscùm loquitur, justo diutiùs ingredi: quin potiùs sibi quoque in partibus officij administrandis dictum esse existiment, quod apud Prophetam severissimè Deus præcipit: Ad legem & testimonium, si non dixerint juxtà verbũ hoc, nõ erit eis lux matutina, *Esa. 8. v. 20. Hinc illæ de assiduâ & indefessâ scripturarũ lectione, ad verbi etjam ministros directè παραινέσεις promanant:* Scrutamini scripturas, *inquit Salvator;* Eæ enim sunt, quæ testificantur de me *Johan. 5. versic. 39.* Dum venio, *scribit* Paulus Timotheo, attende lectioni, adhortationi, & doctrinæ: *Item* Attende tibi & doctrinæ: Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies & qui te audiunt, *1. Timoth. 4 versic 14. & 15. Ipse etjam Apostolus in doctrina sua proponenda se adeò studiose voluntatem & loquelam Dei observâsse testatur, ut* nihil quicquã, nisi ex præscripto Magistri sui, loqui ausus fuerit, *Rom. 15. vers. 18.* Timotheum *quoq; severissimè monet, ut* devitet ineptas illas, prophanas, & aniles fabu-

fabulas, *1. Timoth. 4. vers. 7. simile quid suadet* Tito, *quem jubet* formam habere sanorum verborum, *Tit. 1. versic. 14.* & stultas & litigiosas quæstiones, ut vanas & inutiles, devitare, *Tit. 3. vers. 9. ijsq;*, qui regulam, à se in Epistolis suis de Christo præscriptam, sequuntur, *alibi* pacem & misericordiam Dei Israel precatur, *Gal. 6. versic 16.*

Attendere hoc debent isti, qui tempus explicationi scripturarum, seu concionibus habendis deputatum, vel Philosophicis sententiolis, vel prophanis historiolis, vel Patrum, nunquàm visorum, multò verò minùs lectorum, impertinenter quandoq; allegatis dictis deterunt, quos non ex præscripto Dei loqui, sed ad suum nutum & gloriolam aliquam venandam, conciones suas dirigere, ex prædictis, sufficienter constat.

Legis concio in Ecclesia non intermittenda, & quare.

V. Docentur hic quoq; omnes & singuli Ecclesiarum Ministri, concionem Legis non esse postremam doctrinæ cœlestis partem, ideoq; in Ecclesia minimè intermittendam. Cum enim Deus Legem naturæ ipsi in prima creatione insculpserit, eandemq;

demq; solemniter deinceps in monte Sinai rursùs promulgaverit, cumq; Legis, non verò Euangelij, officium sit peccata detegere, Rom. 3. vers. 20. ossa nostra instar Leonis conterere, Esa. 38. v. 13. sinéque hujusmodi contritione conversio & seria pœnitentia minimè fiat; Legis sanè in Ecclesia usum esse perquàm necessarium, extrà omnem controversiæ aleam debet esse positum.

Proindè quoties vel Spiritus Antinomicus legem, & conciones exinde desumtas ex Ecclesia proscriptas cupit, vel auditores etjam prurientes aures habentes, tractationem ex Lege minùs mollem indignè ferunt, revocent sibi illi in memoriam, præterrationes modò appositas, exempla Prophetarum & Apostolorum, & in specie quidem præsens hoc Ionæ, in quo, utut etjam recalcitrent Ninivitæ, nihilominùs legem Dei loco prædicare Propheta expressè jubetur.

VI. Quòd Ionas, postquàm jam de novo Niniven mittitur, Deo vocanti tàm citò sine ulla quidem excusatione paret, eoipso de salutifero crucis & calamitatum effectu

Crucis & afflictionum temporalium finis qualis

fectu perspicuè nos erudit. Anteà n. ejusdem Dei voce Niniven *missus Propheta, voluntati Dei sese subtrahere, & labores vocationis subterfugere annititur; nunc in ventre probè castigatus ad saniorẽ mentem redijt, & posthabitâ cujuscunq; periculi magnitudine Deo unicè obtemperandum esse, in scholâ crucis, satis rigorosâ, addidicit. Hoc nimirùm est, quod* Esaias *inquit alicubi:* vexatio dat intellectum, *Esa. 28. v. 19. Quò & respicit* Apostolus, *quandò hunc fructum esse testatur pœnarũ temporalium, ut ad meliorem frugem emendati à studio peccati abstrahamur, sicq; ab æterno exitio impœnitentibus impendente, per hujusmodi calamitates liberemur:* Cum judicamur, *inquit*, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur *1. Corinth. 11. v, 32. Sicuti igitur Regium Psalten Deo gratias egisse legimus, pro castigationibus, utq; eundem,* bonum sibi fuisse, quod humiliatus sit, ut addisceret justificationes Domini, *dixisse constat. Psal 119. versic. 71. eundem in modum nos quoq; à Domino correpti* disciplinam non abjiciamus *(Proverb.*

Afflictiones excipiendæ cum gratiarum actione & patientia.

verb. 3. v. 11.) *multò verò minùs irascamur: sed contrà scientes, crucem & calamitates, in exercendis & erudiendis* Christianis *usum habere longè maximum, & dilectionis* Dei *plusquàm paternæ, qua nos prosequitur, indicium esse certissimum, Deo, paternè nos castiganti, timore filiali obediamus*, inq; tribulatione gloriemur; quippè qui novimus, quòd tribulatio patientiam, patientia autem probationem, probatio verò spem operetur, spes autem non confundat, *Rom. 5. v. 4.*

Vocationes periculosæ, si divinæ sint, non sunt rejiciendæ.

VII. Exemplo morigeri Ionæ, *celeberrimum Ninivitarum emporium prædicandi causâ adeuntis, studeant ministri verbi, vt semper parati reperiantur, si ad sublimia & maximè laboriosa, magnisq; cum periculis colluctantia, officia à Deo nonnunquàm avocentur, neq; hic succumbant, si vel imbecillitas carnis, vel laboris magnitudo, vel etjàm loci barbaries, hominumq;, ad quos mittuntur, malitia ipsis terrorem quandoq; incutere velit. Etsi n. sublimia officia in locis celebribus, in civitatibus putâ, aulis &c. periculo omninò non*

carent; cùm, ubi magnus hominum confluxus est, magna quoq; ibidem ἀξία ut plurimùm vigeat, & de aulis verum sit, quod in pervulgato illo versiculo habetur: sævum præluſtri fulmen ab arce venit: *Item illud:* Qui procel à Iove, procul à fulmine; *sunt tamen adversùs hæc & similia terriculamenta validissima quædam præsidia, in quæ nos recipere & meticulositati carnis resistere possumus.*

Consolationes, in periculosis vocationibus adhibendæ. I.

Primùm est vocationis, à Deo profectæ, certitudo. *Ubi enim nobis infallibiliter constat (uti certè omnibus in Ministerio degentibus constare debet) divinitùs nos esse vocatos; impia meherculè & curiosa fuerit sollicitudo, dubitare velle; possitne Deus legatum suum inter varia hujus mundi pericula tueri, & mundo etjam resistente verbi sui prædicationem, & quicquid gloriæ divinæ provehendæ utile esse potest, nihilominùs promovere.* Rex David *huic munitioni tantoperè confidit, ut in ea præ gaudio omninò tripudiet:* etsi, *inquit*, ambulavero in valle mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, *Psal. 23. v. 4. Item:* Iehovah mecum est,

est, non timebo, quid faciat mihi homo, *Psal. 118. vers. 6.*

Alterum est causæ, *quæ agitur*, bonitas. 2.
Neq; enim de hominis gloria & existimatione certatur, sed de ampliatione regni Christi, *de confusione Satanæ*, Christo, *ejusq; honori resistentis: Hæc causa, quia non nostra est, sed Dei, ideoq; stultum erit de felici atq; optato eventu vel tantillum hæsitare, cum certo sit certius, Deum non passurum, ut sibi gloria sua à Satana eripiatur, & regnum Christi subvertatur.*

Accedit his tertium, dulcissimæ nimirùm consolationes, quibus servos suos, hinc inde emissos, & ad ministerium vocatos, Deus in scripturis animare est solitus. 3.
Moysi, *emisso ad eductionem populi Israëlitici è pistrino Ægyptiaco, cùm in itinere sæpiusculè decertandum esset, omnem timorem penitùs excutit*: Ne timeas, *inquit pugnaturo adversùs* Og, *Regem* Basan, quia in manu tua tradidi eum. *Deut. 3. v. 1. Idem dicit* Iosuæ, Amorrhæos *debellanti, Ios. 10. v. 5. Ieremiæ ad munus Propheticũ vocato, Jerem. 1. v. 17.* Paulo *Corinthios formidanti. Actor. 18. v. 9.*

Hæc & similia μεγαλοψύχους nos faciant, ut quò nos cunq; Deus ordinariè vocaverit, voluntati ejus promptißimè obsequamur.

SECUNDA PARS.

EX eo, *quod cap. 1. Ninivitarũ malitia tantoperè exaggeratur ut κραυγὴ τῆς κακίας in cœlum usq; ascendisse Deus dicat, de concionis suæ eventu malè sperâsse Prophetam* Ionam, *verisimile omninò est.*

Cum enim Aula Assyriaca, *in* Ninive *tunc temporis residens, ut & civitatis istius incolæ non tantùm vanæ religionis persuasione infatuati fuerint, verùm etjam luxu, plusquam* Persico *mirùm in modum diffluxerint, quis per humanæ rationis ductum aliud sperare potuisset, quàm fore, ut Propheta unà cum sua prædicatione ejiceretur, aut certè sannis ad minimũ & sarcasticis elusionibus exciperetur? at verò, ut divitias bonitatis suæ inter gentes etjã, ab Ecclesia & populo suo alienas, V. Testamenti tempore Deus ostenderet, hinc fit adeò, ut tantoperè verbum à* Ionæ *prædicatum promoveat, & unica concione* Ninivitas *ad seriam anteactæ vitæ pœnitentiam, sui q; salutarem agnitionem perducat.*

Duobus verò membris fructus hujus

prædicationis à Propheta includũtur; quo- 1.
tum prius, quid cives Ninivitici, auditâ
comminatione excidij egerint; posterius,
qualiter Rex quoq; unà cum reliquis aulici- 2.
cis sese gesserit, breviter commemorat.

De Civibus Niniviticis tria commemo- Vers. 5.
rat ordine perpendenda: Primò inquit; 1.
Crediderunt viri Ninivitæ in Deum;
qua voce significat, quòd commemoratis
& voce legis à Iona exprobratis varijs pec-
catis, antehac cumulatim inter Ninivitas Pœnitentia Ninivitarum fuit seria.
peractis, seriam pœnitentiam agere, vitam
suam pristinam detestari, ad gratiæ divinæ
inexhaustum fontem fide confugere, & a-
pud Deum culpam deprecari inceperint.

Hanc verò Pœnitentiã non fuisse fictã &
hypocriticã, præter signa externa. Jejuniũ
scil. & saccũ, *illud sufficienter probat, quod*
hic veræ & seriæ pœnitentiæ forma, fides
nimirũ, Euãgelicas promissiones de gratia
& misericordia Dei apprehendens, expri-
mitur; quæ fides cujusmodi fuerit, itidem
ex adjacente periphrasi licet cognoscere.

Scriptura quidem variarum veræ fidei Fidei species variæ. Fides miraculorum
specierum meminit, quarum una est, Fides
miraculorũ, *cujus fit mentio Matt. 17. v.*
20. 1. Cor. 12. v. 10. 1. Cor. 13. v. 2.

Historica. *Altera* Fides historica, *quæ in genere quidvis verbo Dei contentum, verum esse credit, sicuti ea Ebr. 11. & alibi passim describitur.*

Salvifica. *Tandem est etjam* Fides salvifica *seu* Justificans, *quæ loco genuini objecti habet* Christum, *ejusq; meritum, unde &* fides Jesu Christi *in scripturis multoties nominatur, ut Rom. 3. v. 22. Galat. 2. v. 16. & 26. Philip. 3. v. 9. &c.*

Ninivitarum fides non fuit miraculorum. *Primam Fidei speciem hoc in loco* Propheta *non accipit: illa namq; quia speciali promissione de hoc vel illo miraculo edendo nititur, cùm hic de miraculo edito vel edendo sermo non sit, hoc in loco intelligi nequit.*

Nec historica. *Sed nec de historica fide* Ionas *hic loquitur: Hujusmodi enim fidem* Dæmones quoq; habent, & contremiscunt, *ut* Iacobus *dicit Jacobi 2. v. 9. Quinimmò nuda illa Dei ejusq; voluntatis cognitio, si reliquæ salvificæ fidei partes non accedant (cùm in* Turcas *quoq; & Gentiles qui plurima vera esse credunt, quæ in sacris literis leguntur, istiusmodi fides historica cadat.) Deo minimè accepta est, ejusdemq; iram, semel*

semel accensam, nullatenùs sedare potest. Quandoquidem igitur à posteriori constat, Ninivitas *per τὸ* Credere, *quod hoc in loco exprimitur, cum Deo in gratiam rediisse, certè vel inde, de fide historicâ sermonem hic non institui, colligere in promptu est. Non urgebimus jam operosè phrasin ipsam, qua scriptura ad fidei historicæ & salvificæ discrimen commonstrandum uti consuevit, quandò nimirùm illam per τὸ* credere Deo *aut* Deum *nonnũquã exprimit: hanc verò sic describit, ut fide salvificâ præditos* in Deum credere *pronunciet, sicuti præter alia scripturæ loca ex 14. cap. Evangelistæ Johannis apparet; quod discrimen specierum fidei ex stylo scripturæ desumptum,* Patres *etjam antiqui, & nominatim* Augustinus *studiosè observat, quandò in expositione symboli Apostolici ità loquitur:* Sciendum est, *inquit,* quod Ecclesiam credere non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est. *Tom. 10. Serm. 131. fer. 6.* Paresceves.

Credere Deum, Deo, & in Deum quid differant.

De salvifica itaq; fide hoc in loco agi, vel ex phrasi sola, ut alias circumstantias

Salvifica seu justificans fides

Ninivitarum fides. *nunc reticeam, constare potest, utpote cum textus dicat* [Vaijaminu belohim] credideruut viri Ninivitæ in Deum *hoc est, certissimâ & infallibili fiduciâ sic adhæserunt gratiæ & misericordiæ divinæ, ut de peccatorum suorum, posteaquàm ea jam non agnoverant tantùm, sed & execrati fuerãt, condonatione, nihil quicquã amplius dubitarent; econtrà verò in Dei optimi maximi clementiam & benignitatem oculos cordis tantâ fidei πληροφορίᾳ defigerent, ut quidvis citiùs sibi persuaderi paterentur, quàm istud, quod resipiscentes & pœnitentes peccatores Deus respuere, & à solio gratiæ suæ abigere soleat.*

Vers. 5.

2. Fides Ninivitarum in externa opera prorumpit. *Sicuti autem impossibile est, veram & salvificam fidem esse alicubi sine operibus, ita quoq; fides hæc* Ninivitarum *in externa opera prorumpit, id quod notat* Propheta, *quandò secundò de* Ninivitis *refert, quod* jejunium prædicaverint. *Quibus verbis ostendit, non tantùm quemvis proprio motu, abstinendo à consuetâ luxuriâ jejunâsse, & corpus suum (ut ad preces fundandas eò esset aptior) quasi freno coërcuisse; sed publico edicto de consensu totius*

Vers. 5.

totius multitudinis jejunium hoc esse indictum, & per præconem, ut ab omnibus sanctè servaretur, proclamatum.

Tertiò, deniq; eatenùs sese demisisse Ninivitas Propheta *dicit, vt* saccis *quoq;* à maximo usq; ad minimũ, *hoc est omnes in universum induti fuerint, sicq; seriam cordis contritionem externo sacci signo plus satis testatam fecerint.* 3. Vers. 5.

Usitatum n. fuit veteribus, vt in magnis calamitatibus cilicio sive sacco lugentes uterentur, sicuti Rex Israël, *cùm* Samaria *fame immodicâ premeretur, præ mœrore* cilicio intrinsecùs ad carnem vestitus fuisse *dicitur. 4. Reg. 6. v. 31. Et* DEus *ipse minatur* Israëlitis, *quòd tantam eis calamitatum molem immittere velit, vt filia* Sion pro Zona funiculum, pro crine calvitium, & pro pallio ciliciũ seu saccum, *in signum scilicet mœroris*, assumere necesse habeat, *Esa. 3. vers. 35.* Sacci indumento quid veteres significaverint.

Hic fuit Ninivitarum, Ionæ *concionem audientium, victus & habitus:* Ut qui offenderant Deũ, luxu & ambitione, eorũ damnatione eum placent, per quæ priùs offen-

offenderant. Saccus enim & jejunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum; antè jejunium, & sic saccus; antè quod occultum est, & posteà quod palàm; hoc semper Deo, illud interdum exhibetur & hominibus: Et si è duobus necessarijs unum est subtrahendum, magis jejunium absq; sacco, quàm saccum eligam absq; jejunio; *ut scitè in hunc locum, pro ea, qua Patres in docendo uti solent libertate,* Hieronymus *loquitur.*

De civibus Niniviticis hæc hactenus promiscuè dicta sunt; nunc porrò in secundo partis secundæ membro, de Rege *quoq;* & Aulicis, *quid scilicet ij auditis Ionæ minis egerint, Propheta adscribit.*

Rex in Ninive Jonæ tempore residens quis fuerit.

Hoc priusquàm ponderemus, meritò quisnam hic Rex *fuerit, quæritur. Sunt autem ea de re dissidentes Historiographorum & Chronologorum sententiæ.*

Plerique in ea sunt opinione, quod Rex iste, cujus hoc in loco fit mentio, fuerit Phulbelochus, *qui unà cum* Arbace Medo Sardanapalum *devicit, & potiorem* Regni Assyriaci *partẽ ad se interempto* Sardanapalo *transtulit. Cui sententiæ*

tiæ adstipulantur Eusebius Cæsariensis *(in chronico)* Iohannes Funccius *(in Tabulis Chronologicis)* Laurentius Codomannus *(in Annabilibus sacræ scripturæ)* *& plerique etiàm recentiores hujus Prophetæ interpretes.*

Contrà alij existimant, tempus hujus prædicationis Ionæ *in* Ninive *referendum esse ad* Asarapacis *Regis* Assyriorum, *prædecessoris* Sardanapali *imperium. Cum enim, vt ex 4. Reg. 14. constat, tempore* Ieroboami secundi *Regis Israëlitarum* Ionas *hic vixerit, & nono post initium regni Ieroboami anno* Sardanapalus *inceperit, eo tempore, quod interceßit à* Ieroboamo *ad* Sardanapalum, Ionam *Ninivitis concionatum esse autumant, eò quod ea, quæ de Rege in Ninive habitante* Ionas *consignavit,* Sardanapalo *non convenire, ex descriptione vitæ ejus satis sit clarum. Hæc sententia à* Leonhardo Crenscheimo *latius est deducta, quam ex scriptis ejusdem studiosi depromere poterunt, (lib. 1. observationum chronologicarum cap. 34.)*

Quicquid sit, sive Asarapaces *fuerit iste,*

iste, cujus hoc in loco fit mentio, sive Phulbelochus, *ea quidem, quæ Propheta de Rege in* Ninive *habitante memorat, omni laude sunt dignissima. Posteaquàm enim fama communis contenta concionis* Ionæ *in aulam novitatis avidam depulerat, hic Rex unà cum suis principibus non imitatur* Pharaonem *illum Ægyptiacum, mandata Domini superciliosè aspernantem & dicentem;* Quis est Dominus, ut audiam vocem eius? nescio Dominum, *Exod. 5 v. 2. sed contrà testatur* Propheta, ubi pervenit verbum ad Regem Ninive, *ipse non obscura seriæ pœnitentiæ specimina edidit, quorum aliquot ordine à* Iona *annotata sunt.*

Vers. 6.

Orientalium in extruendis solijs majestas.

Primò dicit; Surrexit Rex de solio. *Solia augusta & verè magnifica apud Orientales magnates in usu fuisse,* Salomonis *historia ostendit, quæ refertur,* Regem Salomonem solium *eburneum* auro fulvo vestitum, & duodecim leonibus super impositum ædificâsse *1. Reg. 10. v. 18 Similiter* Ahasueri, Persarum Basilicæ *inq; ea collocati solij regij scriptura meminit. Esther 9. v. 1. Hisce solijs Imperato-*

res

res vel jus dicturi, vel magnificentiam suam ostensuri insidebant, cumq; hoc in loco dicatur, quod surrexit Rex de solio, verisimile prorsùs est, eũ in publicis negotijs, vel in audiendis ad minimum exoticorum principum legatis fuisse occupatum, sicq; in solio suo regio magnificè & pompa persica adornato, sedisse. Quamprimùm autem ipsi à Iona peccata sua exprobantur, & imminens civitatis Niniviticæ excidium jussu Dei indicitur, de solio suo descendit, & agnoscendo iniquitatem suam, sese coràm Deo humiliat.

Pergit verò Jonas, & dicit, quod vestimentũ quoq; suum (ex purpurâ procul dubio & byssò confectum) à se abjecerit, ejusquè loco saccum, ex vilissima materia consutum, assumpserit, inquè cinere, hoc est, loco humili & obscuro sederit, quæ omnia nihil sunt aliud, quàm seriæ pœnitentiæ & animi, voce legis humiliati & prostrati, indicia. Quod enim de solio descendit, eo ipso se solio hoc ad fastum & tyrannidem,

non

non verò ad justitiæ sedulam administrationem perpetuò uti solitum fuisse, in genere fatetur; quod abjecta purpura regia, sacco induitur, hoc externo indicio se priorem illam superbiam & sumtuositatem in vestitu nimiam animitùs detestari, Deo & hominibus comprobat: quod denig. in cinere sedet, eo animi sui ob admissa & nunc tandem agnita peccata angustiam exprimit, inq. his veræ pœnitentiæ exercitijs subditis suis, immò quoq. omnibus magnatibus, exemplo admodùm notabili præluceat. Nec dubium est, quin hæc omnia inenarrabilib. gemitibus peracta sint, quibus peccatorum à Deo condonationem & pœnæ instantis mitigationem anxiè petijt.

Rex Niniviticus de subditorum salute est sollicitus.

Cum autem boni Magistratus officium sit, in id sedulò incumbere, ut subditis quoque, non tantùm quoad externa fortunæ bona, sed etjam in ijs, quæ animi ipsius salutem æternam concernunt, rectè prospiciatur; ea etjam in parte hic Rex Ninivitarum suum haud segniter facit officium. Convocato enim Senatu aulico, suo & principum suorum nomine mandatum proclamari curat, quo primò hominibus, jumen-

jumentis, bobus & pecoribus *severè edicit*, ne gustent quicquam, neve pascantur, aut aquam bibant. Vers. 7.

Deindè in signum publicæ calamitatis homines & jumenta saccis cooperta esse, & ad Dominum ardenter clamare jubet. Vers. 8.

Tandem unicuivis publico isto monitorio author & suasor est, ut à via sua mala & iniquitate usitata ad mentem & opera meliora convertatur: *Sic namq; fore putat, ut Deum propositi sui de urbe* Ninive *funditùs subvertendâ & extirpanda pœniteat, & furore iræ suæ cohibito* Ninivitis *parcat, ne pereant.* Vers. 8.

Priusquàm ex hoc Textu locos doctrinæ eruamus, unica atq; altera quæstio aliquantulùm obscurior, & diversimodè à varijs Interpretibus agitata, enodanda erit.

Initiò quæritur, quid sibi velit Jejunium istud brutis animantibus (quorum hic tria constituuntur genera, ut sunt 1. Jumenta, 2. Boves, 3. Pecora) indictum?

Theophylactus *super hunc locum refert, quod quidam per jumenta* efferos homi- Bruta animalia cur jejunare sint jussa.

nes, atq; à ratione alieniores intellexerint, quæ sanè sententia eo nomine cumprimis futilis & vana est, quod, quia hominibus ipsis, malis puta, & varijs peccatis contaminatis jejunium impositum esse in Textu expressè continetur; jam si vocibus Jumentorum, boum & pecorum idem denuò exprimatur, inanem & ociosam ταυτολογίαν, Spiritui sancto in scripturis prorsùs ignotam, à Propheta committi statim sit consectarium. Posito itaq;, de omnis generis animantibus hîc agi, qua de causa bruta animantia à cibo & potu abstineri jussa sint, adhuc manet quæstio. Quia enim irrationabiles hujusmodi creaturæ in legem Dei per se non impingunt, reconciliatione cum Deo eis opus non esse, longè est verisimum. Quinimmò animalia, ratione destituta, pœnitere dici non possunt, cum pœnitentia in ijs tantùm, quibus voluntas concessa est, locum habeat, ut ità, quo te cunq; vertas, jejunium hoc brutorum animalium supervacaneum aut ludicrum omninò videri possit.

At verò causas indicti brutis animantibus jejunij hic Rex Ninivitarum habuit

habuit non omninò contemnendas. Quam primùm enim ex Jonæ concione audit, Niniven post quadraginta dies evertendam esse, quià istam eversionem non tantùm de republica, inq; ea degentibus hominibus, sed de omnibus & singulis creaturis, Spiritum vitalem trahentibus, accepit, ideoq; vt suam tristiciam & animi admodum depressi miserabilem conditionem magis magisq; exprimat, creaturam vanitati subjectam simul ingemiscere, & habitu lugubri de communi impendente calamitate omnibus prædicare voluit.

Deindè quoq;, quià jumenta, quibus debitum pabulum subtrahitur, voce suâ verè miserabili vel saxa etjam & agrestia maximè ingenia ad συμπάθειαν quandam permovere possunt, horum balatu, boatu & voce verè horribili tanquàm μνημοσυνῳ, pœnam instantem Ninivitis & ijs cumprimis, qui σκληροκαρδίᾳ quadam laborabant, exaggerante, commodissimè rursus dictus Rex usus est.

Deniq; cum bona pars luxus aulici consistat in nimio brutorũ animantium, Camelorum videl. Equorum, Canũ & similium

ornatu, vt se hujus quoq; nimij impendij pœnitentia capi Rex Niniviticus declaret, jumentis loco consueti ejusq; præpinguis pabuli jejunium imponit, & loco monilium & pretiosissimarum stragularum sacco eadem indui curat. Hæ fuêre potissimæ causæ, cur in publica & omnibus in universum communi calamitate animalia quoq;, ratione destituta, publicum aliquod communis planctus indicium edere coacta sunt, quod quidẽ eo tempore inter Ninivitas usum habuisse satis magnum, vix cuipiam dubium esse potest.

Rex Niniticus an de remissione peccatorum dubitet.

Altera quæstio est, de ultimorum à Rege prolatorum verborum intellectu, quandò Rex ità loquitur: Quis scit, si pœniteat Deum; & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus; *quæ verba aliter* Pontificios *atq; nos interpretari, ex sequentibus apparebit.*

Illos quòd attinet, quandoquidem sic describunt Fidem justificantem, vt eam dicant cum perpetuâ dubitatione de remissione peccatorum, & acceptatione ad gratiam esse conjunctam, *hoc, & similia scripturarum dicta pro stabiliendo suo illo*

illo dubitationis barathro cumulatim allegant, vti videre est apud Robertum Bellarminum, *hunc etiam Textum Prophetæ nostri in specie citantem, suoq;, quod modò descripsimus, instituto accommodantem. lib. 3. de Justificat. cap. 6. Quæritur itaq; hoc de loco inter nos & Papicolas; Sitné hæc Regis oratio animi dubitantis de remissione peccatorum & condonatione æternæ pœnæ; aut; quis demùm sit sensus horum & similium scripturæ locorum, qualia extant Joel. 2. Dan. 4. &c.*

Fides salvifica cum dubitatione de remissione peccatorũ stare non potest.

Nostra ex sacris literis formata sententia hæc est: quod ea sit fidei salvificæ seu justificantis natura, vt cum dubitatione de remissione peccatorum & donatione æternæ beatitudinis nihil omninò commune habeat. Quia enim gratiæ Dei & merito Christi, *tanquàm anchoris longè tenacissimis, & rupibus prorsùs immobilibus fides salvifica innititur, ità, vt,* qui filio non credit, mendacem eum faciat, *1. Joh. 5. v. 10. quinimmò* παῤῥησία, ἐλέγχῳ πεποιθήσει, πληροφορίᾳ *fides salvifica in verbo Dei describitur, hinc sit, vt dubitationem de remissione peccatorum & imputatione*

justitiæ Christi cum fide justificante prorsus stare non posse, propalam asseveremus. Præsens verò Regis Ninivitici dictum de fide justificante, cumq; ea juxta opinionem Papolatrarum concurrente dubitatione, nihil agere, unica atq; altera ratione, ex ipsis Textus visceribus deprompta, facilè ostenditur.

Initiò certissimum est hunc Regem, cum præsentia verba proferret, fide salvificâ jam fuisse præditum, siquidem de ea fidei specie verba superiora; Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, intelligenda esse, aliquot moti fundamentis paulò antè probavimus. Jam aut illam fidem, de qua versus quintus loquitur, veram non fuisse, aut præsentem locum de dubitatione Pontificia (quam fidei justificanti adhærere ἐκ τῶν ἀδυνάτων est) non agere, infallibiliter consequitur; quorum alterum si assumpserint Pontificij, in manifestã contradictionem, insigni cum absurditate conjunctam, liquidò incurrunt.

Deindè verò, quià hic Rex dicit, sperare se, ut Deum propositi pœniteat, inde quoq; dubitationi de gratia & misericordia

Dei

Dei hic locũ non relinqui, luce meridianâ clarius eluceſcit. Cum enim Deus juramento ſolenni teſtetur, ſe ſemper erga miſeros peccatores ità affectum eſſe, ut nolit mortem peccatoris, *ſed potius*, ut ad agnitionem veritatis omnes perveniant, & vivant, *cumq; ſemper erga nos voluntate ſua ita affectus ſit, ut* ne ullum perire, ſed omnes ſalvos fieri velit, *hujuſq; voluntatis, quippè quæ in Deo immutabilis eſt, ipſum pœniteat nunquàm, certè vel inde quoq; de dubitatione, utrùm nimirũ jam actâ ſeriâ pœnitentiâ peccata ſibi ſint remiſſa, nec ne? Regi huic ſermonem non eſſe, tamdiù firmiter conſtabit, quamdiù loquelam hanc nuſpiam à Spiritu ſancto reprehenſam eſſe, ſed potiùs in ſcripturis collaudari, conſtat.*

Interim ſi vel tandẽ dubitativa hæc & ſimilia ſcripturarum verba eſſe concedendum ſit, hanc dubitationem loco objecti habere non gratiam Dei, non peccatorũ remiſſionẽ, non ſalutis æternæ in Chriſto factã condonationem, ſed pœnæ *ſolummodò* temporalis *remiſſionẽ ſive relaxationem.* Qua de Rex dubitet.

Atq; huc Rex quoq; præsentit in loco respicit, qui utut fide salvificâ certus esset, ab æterna condemnatione se tùm liberatum; utrum tamen temporale exitium, sibi & Ninivitis simul indictum, Deus ablaturus esset, certus omninò esse non poterat; cùm procul dubio nota ipsi essent exempla, in quibus Deus, æternâ pœnâ ablatâ, à temporali castigatione perpetuò non abstinuisset: quam tamen castigationem non τιμωρίας, sed δοκιμασίας rationem solummodò habere, & propriam pœnæ rationem itidem amittere, probè notandum venit.

Hic iatq; loci hujus sensus est genuinus: Orate ô subditi, & quidem, uti verba
Vers. 9. Textus habent, [Bechozka] in fortitudine seu ardenter, ut postquàm æternam pœnam Deus nobis clementissimè remisit, temporalem quoq; afflictionem mitiget, & nostræ huic civitati, nobisq; inhabitatoribus eius aut omninò parcat, aut pœnam aliqua ex parte leniat, sic haud dubiè Deum permovebitis, ut etjam interitum nostrum temporalem avertat, & sibi reconciliatos benignissimè foveat. Atq; sic ubi explicata fuerint hæc Regis Ninivitici ver-

ei verba, ea pro firmandâ dubitatione Pontificiorum nihil facere, non est, qui non videat.

LOCI DOCTRINÆ.

Verbi Dei prædicati robur.

I. Ninivitarum *subitanea & insperata conversio, insigne argumentum est, vim & singularem efficaciam verbi divini mirificè adstruens. Qui enim anteà superstitionibus & cultibus prophanis prorsus erant immersi, sic, vt ambularent* in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei. *Eph. 5. v. 17. ecce hi ad unicam Prophetæ concionem convertuntur, & vitam suam in melius transformant. Quæ Ninivitarum metamorphosis, quid verbum Dei prædicatum & auditum valeat, & quantum virium habeat, perpulcrè ostendit. Non est igitur de nihilo, quod verbum Dei in scripturis nominatur* sermo vivus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritus, compagum & medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis, coràm quo ne ulla crea-

tura invisibilis sit, sed omnia nuda & aperta. *Hebr. 4. v. 13. quod item assimilatur* pluviæ & nivi, de cœlo decidenti, & terram fœcundanti, ut det semẽ sementi, & panem comedenti, *Esa. 55. v. 10. quod dicitur* potentia Dei ad salutem, *Rom. 1. vers. 16.* verbum vitæ æternæ, *Johan. 6. v. 68.* Gladius Spiritus *Ephes. 6. v. 17. Quæ & similia elogia, ut & exempla, fructum verbi prædicati passim exhibentia; qualia occurrunt, Actor. 10. v. 44. Act. 16. vers. 14. in subitanea conversione* Lydiæ *& alibi; adversus fanaticos* Schvvencofeldianos & Pontificios *probè notanda veniunt, qui verbum Dei* literam mortuam, regulam Lesbiam, materiam litis, nasum cereum *nominant, infinitisq; convitijs (quæ flammis tartareis Deus vindicaturus est) proscindunt.*

Franciscus Costerus in Enchiridio controversiarum.

II. *Cæterùm sicuti hoc in loco apud* Ninivitas *verbum Dei mirificè fructificat, & uti* Regius Psaltes *inquit*, velociter currit, *Psal. 147. versic. 15. ità e contrario varia extant exempla, quibus, quod homines verbum Dei multoties prædica-*

Verbum Dei nonnunquàm sine fructu prædicatur & quare.

dicatum, & miraculis insuper confirmatum, recipere recusarint, probari potest.

Moses & Aaron *mandatum Domini de dimittendis Israëlitis* Pharaoni *toties aperiunt, & stupendis miraculis missionis suæ veritatem comprobant atque confirmant; nihilominus* Pharao *populum Israëliticum in captivitate detinet, sicq; verbum Domini sibi oblatum fructum & finem assequi non sinit.*

Salvator noster obstinatis Judæis tot Euangelicas conciones exhibet, utq; se verum Messiam esse comprobaret, opera soli Messiæ competentia magno numero edit, ad quæ etjam provocat, apud Evangelistam Johannem dicens: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quià Pater in me est, & ego in Patre *Joh. 10. vers. 38. Has & similes Salvatoris conciones Judæi ne quidem admittebant, sed contrà* Christum Dæmoniú habere, *Ioh 8. v 48.* digito & virtute Dæmoniorũ Diabolos ejicere, *L. 11. v. 15* blaspheme-

blasphemabat, & ad dulcissimas quasq; Christi invitationes magis magisq; in obsti natâ suâ & desultoriâ petulãtiâ corroborari videbantur. Atq; h. e. quod Paulus etjã Euangelij annuntiationẽ apud omnes perinde non fructificare, sed alijs odorem mortis in mortem, alijs odorem vitæ in vitam esse, conqueritur. 2. Cor. 2. v. 16.

Quæstio itaq; hic oritur, quænam hujus differentiæ & mirabilis diversitatis causa sit, quomodoq; verbum prædicatum ab Apostolo odor mortis in mortem congruè dici possit.

Calvinianæ sectæ asseclas, si hîc in consilium advoces, quià Electionem hominum nullo ad media eorumq; apprehensionem habito intuitu, in solius Dei decreto & absolutâ voluntate fundatam esse dictitant, facere non poterunt, quin eidem Deo, quod verbum ejusdem quibusdam est odor mortis in mortem, itidem sceleratè adscribant, sicq; Deum causam interitus plurimorum hominum faciant. Nec opus est hac in parte ad exquirendam eorum sententiã obscura divinatione aut dubijs conjecturis, cum Beza Calvinisticæ factionis facilè

facilè anteſignanus prolàm aſſeveret; nolle Dominum, ſuam paſſionem & mor- *(quod ad verbum quoq; prædicatum, in quo paſsio & mors Domini omnibus & ſingulis offertur, referendum eſt)* omnibus prodeſſe cuius alioquin ſanguinis una gutta *(ſi ſcilicet ipſe vellet)* pro peccatis totius mundi, etiam damnatorum, ſufficeret. *In actis colloquij Mompelgart. fol. 447. in editione Viteberg.*

Calviniani Deo adſcribunt quod per verbũ prædicatũ omnes homines non convertuntur.

Zanchius *ſimiliter*; quod impii, *inquit*, vel non credunt in Deum ac Chriſtum, vel non benè operantur, hoc ideò fieri, ſacræ literæ aperte ajunt, quià non ſunt à Deo ad fidem prædeſtinati. *In Miſcellan. pag. 229.*

At verò has blaſphemias uti ſcripturæ prorsùs ignorat, ità, quod verbum Dei apud omnes ex æquo non fructificat, vitio verbi aut voluntate Dei fieri, toties negat, quoties verbi prædicati inſitam vim, majeſtatem atq; efficatiam deprædicat, & benigniſsimæ voluntati Dei, ſeriò cupientis, vt omnes homines verbum fide acceptent, ſicq; convertantur, præclariſsimum teſtimonium perhibet.

Homi-

Vera causa cur verbū Dei prædicatum quādoq; inter homines non fructificet.

NB.

Hominum proindè contumacia & præfracta inobedientia in causa est, quo minùs verbum Dei ubiq; non ità admittatur, quàm apud Ninivitas *factum fuit: atq; tùm verbum istud per se & in se bonum atq; salutare, non ex suâ naturâ, sed ob subjectorum diversitatem, & prorsùs disparem conditionem contrarios effectus sortitur, quodq; per se est odor vitæ ad vitam, per accidens & malitiâ auditorum odorem mortis ad mortem causare dicitur.*

Magistratus Politici in propagando vero Dei cultu studium quale esse debeat.

III. Exemplo hujus Regis Ninivitici docetur Magistratus secularis, quid in propagatione cultus divini, sui sit officij; attollere nimirùm portas, ut intret Rex gloriæ, sicut David *loquitur Psal. 24. v. 7. & 9. præbere Ecclesiæ grata halcyonia, eamq; instar* nutricis *fovere. Esa. 49. v. 23. qua quidem in re cujuscunq; ordinis & loci Magistratus hunc* Ninivitarum *Regem ducem habet longè laudatissimum.*

Extant quoq; alia in sacris & prophanis historijs exempla, hac in parte Magistratum, ut sui, divinitùs sibi concrediti, officij memor sit, extimulantia; qualia sunt Davidis, *qui amore erga cultum divinum,*

vinum, & verbi Dei propagationem accensus, se elegisse *inquit* abjectum esse, & malle sedere ad limen domus Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, *Psal. 84. vers. 11.* Assæ, *de quo legitur, quod non tantùm ipse* coram Domino inculpatè vixerit, *sed* effœminatos *quoque, vt & sordes idolorum, à patribus introductas, sustulerit. 1. Reg. 15. versic. 12.* Josiæ, *qui promulgatâ lege, & deletis fictitiorum Deorum vanissimis cultibus, Ecclesiæ reformationem studiosè promovit, & verum Dei cultum injuriâ priorum temporum non parùm immutatum, ex præscripto Legis restituit. 2. Reg. 23.* Hiskiæ, Iosaphati, Iudæ Maccabæi, Constantini magni, Theodosij, Caroli Magni *& cæterorum*.

Sed non tantùm series hæc exemplorum studium provehendi gloriam Dei in animis Magistratus accendere debet, verùm etjam intueri eos, qui ad clavum Reipubl. sedent, oportet severissima Dei mandata, quibus prædicationem verbi divini pro viribus juvare jubentur. Apud Mosen *cum de Rege Israëlitis*

præfi-

præficiendo, Deo sermo esset, jubetur Rex iste volumen legis descriptum & à sacerdotibus mutuatum secum habere in solio suo, & assiduè legere, ut disceret timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta erant. *Deut. 17. v. 18. Similiter* Regius Psaltes *Spiritus sancti instinctu potentes huius seculi severissimè alloquitur:* Reges, *inquit*, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; osculamini filium, ne quandò irascatur, & pereatis de via iusta, *Psal. 2. vers. 10.*

Et notum est ex Historiarum monumentis, quàm acerbis pœnis Deus Magistratum, officij sui erga Ecclesiam immemorem, reprehendere fuerit solitus, id quòd in Achabo, Iezebel, Jeroboamo, Iuliano Apostata, *& alijs clarissimè videre licet.*

Hæc meritò ijs ponderãda sunt, qui, cùm rerum sint Domini, adeò nonnunquàm in Ecclesiæ bono juvando & promovendo reperiuntur negligentes, vt non tantùm ea, quæ facere oportebat, intermittant,

sed

sed & cursum Euangelij & labores fidelium Ecclesiæ Ministrorũ haud rarò impediant.

IV. Veræ & seriæ Pœnitentiæ conditio in exemplo hoc conversionis Ninivitarum *nobis ob oculos sistitur.* Veræ Pœnitentiæ partes & conditio.

Initiò enim pœnitentiam sine agnitione ante actæ impietatis & detestatione peccatorum non esse, Ninivitæ *eo docent, quòd auditâ à* Iona *voce legis, præ mœrore & contritione animi in cinere sedent, seq; sacco & cilicio cooperiunt atq; castigant.* 1.

Hujus primæ Pœnitentiæ partis scriptura variis in locis meminit, vt quandò apud Esaiam Hiskias *dicit,* ossa sua *in agone* quasi à Leone fuisse contrita. *Esa. 38 v. 13. quandò item* David de ossibus suis humiliatis & contritis *loquitur. Psal. 51. v. 10. sibiq; tela altissimi infixa esse pronunciat. Psal. 38. v. 3.*

Altera pœnitentiæ pars Fides *est, itidem in hoc facto* Ninivitarum *expressa, siquidem dicũtur* viri Ninivitæ credidisse in Deum, *quod de fide salvificâ intelligendum esse, suprà in explicatione Textus ex certis fundamentis adstruximus. Hæc Fides Pœnitentia anima est, ob quam* Pœniten- 2. Fides Pœnitentiæ anima.

nitentia ad vitam *dicitur*, *Act. 11. v. 18.* *quæ si ad contritionẽ nõ acceſſerit, ea in deſperationẽ & pœnitentiã, qualis eſt* Caini, Saulis, Judæ *& aliorũ penitùs degenerat.*

Vera Pœnitentia otioſa non eſt.

Porrò ſicuti vera Pœnitentia otioſa non eſt, ſed hominem fructus pœnitentiâ dignos facere impellit Luc. 3. v. 8. ità quoq; ea in parte à poſteriori effectus veræ pœnitentiæ in civibus Niniviticis *plus ſatis elucet, quandò nimirùm jam converſi ad Deũ temperãtia ſtudent, orationi & precibus corã Deo effundendis ſeſe accommodant, àq; via mala & ſtudio rapinæ deſiſtunt, quæ omnia Novæ obediẽtiæ ſunt ſpecimina, verũ Pœnitentiã vt fructus indubiè conſequentia. Hæc uti ad veram pœnitentiam requiruntur, ità* Pœnitentiæ Pontificiorũ *cum hac* Ninivitarum *converſione minimè convenit. Tres enim hi partes Pœnitentiæ conſtituunt, quarum prior eſt* contritio cordis, *altera* confeſſio oris, *& tertia demùm* ſatisfactio operis.

Pœnitentia Pontificiorum.

Contritionem cordis *iſti definiunt non* agnitione tantùm peccatorum, & ſeriâ vitæ & malitiæ prioris deteſtatione, ſed dolorem *eam nominant*, de peccatis admiſſis summum, *idq;* (*vt* Bellarminus

barbarizat.) appretiativè, *lib. 2. de Pœnit. cap. 11. § 6. Et vtiliſsimum eſſe docent,* peccata ſingula amariſſimè & longo tempore ità deſleri, ut contritio non ſolum appretiativè, ſed etiam intenſivè & extenſivè ſumma dici poſſit. *Cap. eodem § antepenult. Quinimò* Petrus Lombardus *hujuſmodi requirit contritionem,* quæ ſufficiat ad puniendũ peccatum, qua ſi quis caruerit, eum decedentem ex hac vita ante Pœnitentiæ impletionem, Purgatorium ſentire & gravius, quàm ſi hic pœnitentiam impleviſſet, puniri *dicit. lib. 4. diſtinct. 20. § 2.*

Contritio Pontificijs quid.

Hac ſanè Contritionis deſcriptione, etſi dolorẽ magnitudini iræ divinæ æqualem, aut certũ intentionis gradũ Pontificij non requirunt, quantitate tamẽ quàm contritionem metiendã eſſe non obſcurè indicant, conſcientiarum eos carnificinam (cùm nemini, quandò dolor iſte appretiativè aut intenſivè ſit ſummus, conſtare poſsit) fabricare longè eſt certiſsimum: vt nihil dicam de diſtinctionis iſtius, juxta quã dolor ſummus appretiativè aliàs, aliàs item intenſivè ſumitur, vanitate, quæ

uti è scripturis sumta non est, ità barbarismum omninò redolet, & ad fascinandas magis miseras conscientias, quàm ad eruendam doctrinæ præsentis veritatem, ab ociosis Monachis & tenebricosis Sophistis inventa videtur.

Confessio Pontificia.

Confessio oris *altera Pontificiæ Pœnitentiæ pars est, qua denotant omnium peccatorum mortalium specialem enumerationem, quam* Conciliabulum Tridentinum *jure divino adeò necessariam esse judicat ijs, qui post Baptismum in peccata prolabuntur, ut anathema dicat omnibus, qui contrà ausi fuerint disputare. Sess. 14. cap. 5. Can. 6. 7. & 8. Bellarm. lib. 3. de Pœnit. cap. 2. §. 1.*

Nos contrà fulgur istud ex pelvi parvi pendentes, etsi privatam quidem Confessionem, ut quæ informationi auditorum, & specialiori, si opus sit, correctioni, aut etiam consolationi non parùm conducit, in nostris quoq; Ecclesiis libenter retinemus, singula tamen peccata, singulorumq; peccatorum circumstantias recitandas esse, nec si hoc negligatur, peccata dimitti ut falsum & impossibile, quin ex animis proscribamus, facere non possumus. Cum

Cum enim ob multitudinem peccatorum, justus etjam septies quovis die labi *dicatur*, *omniaquè peccata retinere memoriam nostram superet*, *cumq; quædam peccata*, *Spiritu sancto id attestante*, occulta *sint*, *nobisq; incognita*, *sicq;* delicta sua, eorumq; multitudinem nemo intelligat, *Psal. 19. v. 13. Psal. 90. vers. 8. hanc singulorum peccatorum recitationem*, ἐκ τῶν ἀδυνάτων *esse*, *& per id in Ecclesia intolerabilẽ*, *atq; inutilẽ*, *nemo non perspicit. Et vt*, *quod res est*, *dicamus*, *hac Pontificiorũ auriculari confessione nihil aliud in Papatu quæritur*, *quàm vt compendio quodam subtiliori Magnatum consilia & animum erga Ecclesiam Romanam*, *vt & juvencularum amores Missifices isti Pontificij explorent*, *sicq; eò felicius sua deinde in dilatandâ tyrannide Papali*, *& explenda insatiabili libidine consilia in effectum perducant: quæ factiones & scelera cum à vero Ecclesiæ ministro longissimè abesse debeant*, *nos ea cum suis authoribus ad orcum relegamus*, *& justo Dei judicio committimus.* Pontificia Confessio impossibilis & periculosa.

NB.

Tertia Pontificiæ Pœnitentiæ pars dici- Satisfactio Pontificia.

tur satisfactio operis, *juxta quàm confitenti pro qualitate delicti ad redimendam coram Deo pœnam temporalem operis aliquid imponitur, de quibus operibus satisfactorijs latius disserit* Robertus Bellarminus *lib. 4. de Pœnit. cap. 6. lib. 2. de bonis operibus in particulari; & alibi.*

Cæterùm hæc opera satisfactoria injuriam inferunt satisfactioni Christi luculentam, qui unicus est Mediator Dei & hominũ, semetipsum dans preciũ redemptionis pro omnibus, *1. Tim 2. v. 6. quiq;* propitiatio est pro peccatis nostris, nec pro nostris tantũ, sed pro totius mundi *1. Joh. 2. v. 2.* cujus livore sanati sumus, *tàm quoad temporalem, quàm quoad æternam pœnam, si quidem* castigatio pacis super eum, *Esa. 53. v. 5. ipseq;* pro nobis maledictum factus, ut nos à maledictione legis liberaret. *Gal. 3. vers. 13. quæ omnia quàm diù vera sunt, satisfactioni nostræ in serie coram Deo pœnitentiæ actu locus nullus esse potest.*

Ratiunculas à Roberto Bellarmino *& alijs Pontificijs in contrarium consarcinatas examinare, nostri instituti non est; illud saltem notare hoc in loco occasione tex-*

tus adigimur, admodùm imperitè jejuniũ, cinerem & cilicium Ninivitarum inter opera satisfactoria à Jesuvvita capite modò nominato § 10. vt & lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 11. § 16. numerari, cum hæc omnia veræ contritionis externa solummodò signa fuerint, quæ sicuti ex mandato facta hypocrisin sapiunt, ità quoties ex libero spiritu proveniunt, & veræ contritioni testimonium perhibent, minimè culpanda esse ipsimet fatemur. Et sanè cum post acceptã fidem, Ninivitæ jejuniũ demùm prædicasse legantur, justificati autem fide, jam tùm pacem cum Deo Apostolo teste habeant. Rom 5. v. 1. pace à Deo impetratâ, satisfactorijs & meritorijs hominũ nihil opus esse, hocq; jejuniũ & reliquas externas Ninivitarum actiones inter opera satisfactoria imperitè & impiè simul censeri, satis est perspicuum.

Iejunium, cineres, & sacci Ninivitarum non sunt opera pro peccatis satisfacientia.

V. Quià in secundâ tertij hujus capitis parte Jejunij Ninivitarum fit mentio, quid de Iejunio sit sentiendũ, paucis investigabimus. Et initiò quidẽ tenendũ Allegoricũ aliquod seu spirituale Iejuniũ esse, quod consistit in purificatione cordis per

Iejunium allegoricũ semper est necessarium.

fidem in Christum, & abstinentia ab omni fermento malitiæ. Hoc inter res indifferentes, & in libertatis Christianæ arbitrio positas nunquàm referri potest, cùm præceptis divinis seriò mandatum sit, & homini ad salutẽ perpetuò necessariũ existat.

Jejunij Christi descriptio.

Jejunium autem, de quo hìc nobis sermo est, nominamus exercitium, quo ad tempus consuetam victus rationem nobis subtrahimus, vt sic corpus nostrum subigere, preces coram Deo ardentiùs effundere, & luctus propter admissa peccata testimonium edere posimus. Hac qualicunq; Jejunij descriptione observatâ, nomin Jejunij famem ex necessitate & cibi penuriâ provenientem, qualis erat Eliæ tempore cœlo occluso 1. Reg. 18. v. 2. qua item Paulus *unà cum suis comitibus tempore naufragij premebatur. Actor. 27. v. 33. minimè venire apparet.*

Jejunia necessaria.

Jejunia miraculosa.

Necessitas *enim ista, vt dictum est, causabat jejunia, non voluntas. Sed nec Jejunia miraculosa huc pertinent; qualia sunt* Christi, *40. dies & noctes jejunantis, Matth. 4. vers. 2.* Moysis, *totidem dies & noctes in monte Sina coram Domino subsistentis, Exod. 24. vers.*

verſ. 18. Eliæ, *qui virtute unius prandij itidem ab inedia tamdiù immunis fuit 1. Reg. 19. v. 8. Hæc enim exempla, quippe* ἐξαίρετα *& naturæ hominis viresexuperantia, ad jejunium ſponte electum & in libera hominis voluntate poſitum, referri nullatenus queunt. Veri autem Jejunij, quale modò deſcripſimus, in ſacris literis diverſæ extant ſpecies.*

Aliud namq; commune eſt & publicũ, publicâ Magiſtratus & eorum qui Eccleſiæ præſunt, authoritate indictum, quale deſcribitur Judic. 20. verſ. 26. Judith. 4. verſ. 8. quò etiam præſens Ninivitarum *Jejunium referri poteſt. Privatum contrà aliud eſt, à quovis proprio arbitrio ſuſceptum; quale extat Dan. 9. verſic. 3. Luc. 2. verſic. 37. &c.*

Iejunium aliud publicum, aliud privatum.

Jejunij Pontificiorum *longè alia, quàm ejus, de quo nos agimus, eſt ratio. Initio enim iſti Jejunium ſic determinant, ut certo tempore ejus obſervationẽ tanquàm neceſſariam & quidẽ ſub peccati mortalis evitatione urgeant.* Certum eſt, *inquit* Gregorius de Valentia, omnes eos, quibus cauſa aliqua rationabilis ad jejuniũ

Iejunium Pontificiorum quale.

I.

prætermittendum non sufficit, teneri ex præcepto Ecclesiæ ad jejunium, & quidem sub peccato mortali, quantum est ex genere eius præcepti *Tom. 3. Disput. 9. quæst. 2. punct. 5.*

Atqui nos contrà, cum Jejuniũ sit ex ijs, in quibus Christianæ *libertatis praxis locũ habet, jugo isto nos alligari, vt qui à Christo in libertatem vindicati sumus, minimè patimur: quinimmò istam dierum & temporũ observationẽ in N. T. locum non habere asserimus: sublato namq; per Christũ ceremonialium observationum jugo, indignum æstimamus cum Apostolo ferre,* ut nos quis iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorũ, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, *Coloss. 2. v. 16.*

2. *Deinde Jejunium isti hujusmodi somniant, quod abstinentia ab omni cibo non constat, sed solummodò à* carne, butyro, ovis, *& alijs* lacticiniis; *intereà (quadragesimali potissimùm tempore) pisces varij generis, eosq; exactissimè præparatos magnâ copiâ apponunt, sicq; cuticulã suam satis suaviter curant, non secus ac* Manichæi

olim

olim, de quibus alicubi scribit Augustinus, quod oluſculis & pernâ veſcentes, ac vinum, quantum naturæ opus eſſet, bibentes, damnarint; aliis autem cibis & potu ſeſe faciẽtes vehementer commẽdarint. *De moribus Manichæorũ lib. 2. c. 13. Quid? quod eò devenit hypocritica Papiſtarum devotio, vt ſanctimoniæ ſingularis ſpecimen eſſe prædicent, certis cibis, carnibus potiſsimùm, nunquam veſci; quo nomine fanaticus* Carthuſianorum *ordo cumprimis clarus eſt. Hac igitur in parte etjam veris Chriſtianorum jejunijs cum ficta iſta Pontificiorum abſtinentia & jejunio ſine fame non convenit.*

Initiò enim cum jejunio eum in finem Chriſti fideles vtantur, vt ſic corpus ſuum doment, ſeq; ad preces & alia ſpiritualia officia rectius obeunda præparent, quandiù exquiſitiſsimis cibis & piſcibus, lautius quàm ullus apud veteres Apitius *excogitarit, confectis, locus eſt; corpora non domari aut ſubigi, ſed ſaginari colligunt.*

Deindè verò reſpicientes ad Jejunia in ſacris literis annotata, ea abſtinentiã non

ab

ab aliquibus tantùm, sed ab omnibus cibis fuisse inveniunt.

Tandèm cum omnis creatura Dei bona sit, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, *1. Tim. 4. vers. 4. hunc ciborum delectum, & à certis cibis abstinentiam à* Paulo doctrinam Dæmoniorum *nominari & à* Spiritibus erroris *provenire inaudiunt; quò fit ut eam recipere nec velint, nec etjam per conscentiam possint.*

3. *Sed nec in causa finali Jejunia Pontificiorum cum nostris concordant: Isti enim, & præ reliquis* Petrus *à* Soto, *jejunia propterea fieri dicunt*, ut peccata expientur, ira Dei mitigetur, nosq; jejuniis Deo gratiores reddamur: *Et paulò pòst habet idem:* quod Ieiunium meritum Christi nobis applicat, falsitatis coargui non potest: sed magis, negare Jeiuniũ opus esse, quo æternam vitam meremur, & satisfacimus pro peccatis, error est apertissimus. *In Assert. Catholica de Jejunio. Hæc, ut paulò antè dictum est, meritum Christi, eiusq; vim mirè extenuant, cujus virtuti tantùm detrahi, quantum*

tum in expiandis hominum peccatis & placando Deo jejunijs aliisq; humanis actionibus adscribitur, longè est certissimum.

VI. Admonitione sua de vitâ in melius emendandâ, quàm ad subditos Rex Niniviticus instituit curat., Fidem & seriam pœnitentiam cum proposito peccandi subsistere nequaquàm posse ostendit: ideoq; vt subditi sui pœnitentiam agentes, & ad Deum in fortitudine clamantes, à viâ simul malâ & solitâ iniquitate abstineant, viaeq; novitati studeant, severissimè edicit: qua quidem in re Regi huic cum universâ scripturâ, præcipuè verò cum Apostolo Paulo, *eleganter convenit, qui toties à justificatis novæ obedientiæ studium & veteris Adami odium requirit.* Deponite, *inquit alicubi*, iuxta priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris; renovemini verò spiritu mentis vestræ, & induite hominem novum, qui iuxta Deum conditus est in Justitia & sanctitate vera *Ephes. 4. vers. 23. Itemq; alibi:* Nolite exhibere membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos *Deo*, tan-

Fides & propositū peccandi in uno subjecto simul esse non possunt.

tanquàm ex mortuis viventes, & membra vestra arma Iustitiæ Deo. *Rom. 6. v. 3. Quinimmò illa est veræ fidei natura, vt eam studium novæ vitæ infallibiliter consequatur, unde & fides* efficax esse *dicitur* per charitatem *Gal. 5. v. 6. & si operibus destituatur,* mortua *à* Iacobo *appellatur, Jacobi 2. v. 17. Huc quoq; pertinent omnia verbi divini mandata, vitæ sanctimoniam à nobis, exigentia, & necessitatem bonorum operum comprobantia; qualia in N. & V. Testamento passim reperiuntur; præ cæteris tamen illustria sunt; quæ habentur Gal. 5 v. 16. 1. Ioh. 2. 1. Pet. 2. Tit. 2. Rom. 8. Psal. 119. Tit. 3. &c.*

Hæc doctrina, quam in nostris Ecclesiis hucusq; Dei beneficio retinuimus, & deinceps quoq; propagare studemus, prodest primò ad refellendas Pontificiorum calumnias, qui nobis affingere non erubescunt, quòd doceamus, studio bonorum operum vitæq; novitate opus nõ esse, sed sufficere Christiano, si ad fidem solummodò provocet, non habitâ interim ratione, quomodò aut quam sanctè vivat, aut quibus se sceleribus polluat atq; contaminet, qualia absurda

da præter cæteros nobis imputant Andreas Fabritius Leodius *(in Exam. Augusti. confess. pag. 65.* Alphonsus Virvesius, *Philip. 6. pag. 143.* Otto Cardinalis Augustanus, *in præfat. super tractatum* Petri à Soto *de institutione sacerdotum) & alij.*

Cæterùm tantum abest, istæ calumniæ vt in nos quadrent, vt contra cum Rege *hoc* Ninivitico *conversionem à via mala cuivis vero Christiano summè necessariã esse, nosq; ex debito bonis operibus studere debere, toties ferè ingeminemus, vt si necesse sit parietes etiam Ecclesiarum nostrarum contrarium confessioni nostræ testimonium communicare possent.*

Deinde quoq; dogma hoc Probæ & Lydij 24
lapidis instar est, ad quem se homo, utrum in cœtu fidelium sit nec ne, examinare potest. Si enim conversio ab iniquitate fidem consequitur, sicq; qui Christi sunt, carnem cum suis affectibus, *vti* Apostolus *loquitur*, crucifixerunt, *Gal. 5. v. 25. è contrario, qui in peccatis contra conscientiam adhuc perseverant, & exercitijs pristinæ iniquitatis delectantur,* Christi *non esse, & vera fide destitui, colligere in promtu est.*

TER-

TERTIA PARS.

TErtia hac tertij Capitis parte lætam catastrophen rerum inter DEum & Ninivitas hactenùs gestarum Propheta exhibet.

Posteaquàm enim serium super anteactâ vitâ Ninivitarum dolorem, & quantoperè ad gratiæ & misericordiæ cœlestis fontem Ninivitæ fide confugerent, Deus conspexit, populi Ninivitici misertus est, & culpam non tantùm, verùm etjam æternam & temporalem pœnam illis clementissimè remisit.

1. Vers. 10. Explicandum autem in Textu antè omnia venit, primò, quòd Propheta dicit, Deum respexisse ad opera Ninivitarum; quam sententiam suo foro Pontificij satis operosè & speciosè accommodant, existimantes, in ea meritis bonorum operum non exiguum præsidium esse, & bona opera, eorumq; præstantiam atq; valorem ex actu Justificationis nostræ coràm Deo immeritò à nostratibus eliminari.

At verò re rectius ponderatâ, non erit, quod ex hoc loco Pontificij tantoperè ad stabi-

ſtabiliendam ſuam ἑτεροδοξίαν *arripere poterunt. Anteà enim, quo medio* Ninivitę *Deo reconciliati ſint, Propheta explicuit, ubi ne tantillum quidem operibus aut humanis meritis conceſſit, ſed reconciliationẽ eorum cum Deo fidei unicè attribuit; quod ſi autem fide juſtificati ſunt, & à Deo in gratiam recepti, cum* fides *Apoſtolo teſte* juſtificet χωρὶς ἔργων νόμου *Rom. 3. v. 28. operibus* Ninivitarum *locum non relinqui, non eſt qui non videat.*

Inſtant autem, ocioſum fore ſermonem Prophetæ, quandò Deum ad opera Ninivitarum *reſpexiſſe dicit, ſi operibus meriti atq; efficaciæ nihil tribuatur.*

Atqui nos illationem vitio cauſæ vt cauſæ laborare continuò regerimus. Quià enim ex operibus de fide judicium faciendum eſſe toties ſcriptura aſſerit, ſicq; opera fidei quaſi externæ & circumſtantes teſtes ſunt, hinc utcunq; ſola fides juſtificet, non tamen de nihilo eſſe, quod ad opera Ninivitarum *Deus reſpexiſſe legitur, clariſsimè eluceſcit.*

Deus cur ad opera hominum, cum ea non juſtificent, reſpicere dicatur.

Quod ſi ſcrupuloſus diſputator quidam hic nondum acquieſcat, & opera teſtes qui-

dem fidei quo ad nos, non verò quoad Deũ, qui de fide à priori judicare potest, esse regerat; illi Deũ in his & similibus scripturarum dictis συγκαταβαίνειν, & nostro captui sese accommodare finaliter respondemus. Et hujusmodi quidem συγκατάβασιν scripturæ familiarem esse, vel unica Abelis *historia perspicuè ostendit. In illa enim etsi similiter de Deo legitur, quod ad munera* Abelis *respexerit, eaq; approbaverit, nihilominus tamen* fide uberiorem hostiam Abelem Deo obtulisse, & justitiæ testimonium consecutum fuisse, *Author Epistolæ* Hebræis *inscriptæ testatur, cap. 11. versic. 4.*

Hoc solummodò quasi in transitu ab Adversarijs notari hîc petimus, si vel maximè (ex hypothesi loquendo) opera vel ex condigno vel ex congruo aliquid promerentur, horum tamen, quæ à Ninivitis *præstita sunt, & quæ Pontificij tantoperè urgent, discrimen esse longè maximum.*

Discrimen operum Pontificiorum & Ninivitarum.

Ninivitarum *namq; opera ex fide proveniebant, & à fide informabantur, ut essent accepta coram Deo; Pontificiorum, contrà opera fidem informare, & ut justificans sit efficere statuuntur.* Sic

Sic quoq; opera Ninivitarum *non consiebant in vanis & electitijs cultibus, à Deo non præscriptis, sed ad Legis Dei præscriptum fiebant: Pontificij verò, quandò de operibus tantoperè garriunt,* ἐθελοθρησκείας, *à Deo non præceptas, sed arbitrio humano adinventas, intelligunt. Hæc diversitas quamdiù inter opera* Ninivitarum & Pontificiorum *manet, cassâ nuce vaniorem ex hoc & similibus scripturarum dictis Pontificiam illationem esse, clarius est quàm vt operosa indagatione egeat.*

Deindè quoq; & illud aperiendum est, 2. Vers. 10. *quomodò* Deum mali, quod locutus fuerat, pœnituisse à Propheta *scribatur. Si enim, quæ hujus loquendi formulæ conditio sit, satis dextrè explicatum non fuerit, immutabilitati essentiæ divinæ vis facillimè inferri, & alia quædam scripturæ dicta, pœnitudinẽ omnẽ à Deo lõgissimè removẽtia, à contradictione liberari vix poterũt.*

Sciendũ itaq; ante omnia, cum Pœnitentia sit mutatio quædã volũtatis circa dicta, facta, aut cogitata, quæ ex erroris correctione & melioris sententiæ aut facti cognitione oritur, hujusmodi in Deum pœnitentiam Pœnitentiã Dei quid significetur.

minimè cadere. Ipse enim omniscius cum sit, cumq; omnium negociorum eventus ab omni usq; æternitate infallibiliter præviderit, & de omnibus omninò rebus ejus tàm fixa sit sententia, quàm certa scientia, *sicut* Augustinus *loquitur lib. 15. de civit. Dei, cap. 25. hujusmodi erroris quoq; prorsus expers esse credendus est. Quin & cum* in Deum, *vt* Cyrillus *habet*, nullum cadat accidens, *lib 11. Thesauri cap. 1. Tom. 2. operum; per id quoq; mutatio, ex ignorantia & inconstantia proveniens, Deo adscribi nequit. Atque huc tendunt omnia scripturæ dicta, quæ Deum in essentiâ suâ sic sui semper similem esse prædicant, vt ne unquàm quidem mutetur, aut pœnitentiâ ducatur; cujusmodi scripturarum loci occurrunt Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 29. Malach. 3. v. 6. Psal. 102. v. 13. Jacob. 1. v. 17.*

In Deum non cadit accidens.

Quomodò ergò, quærat tandèm aliquis, Deum rei alicujus pœnitere dicitur, aut pœnitentia de Deo prædicatur? Cui responsi loco hoc damus; Pœnitentiam, vt & reliqua opera temporalia, prædicari de Deo non per essentiam aut inhærentiam, quippè

quippè quæ, vt æterna & infinita, omne temporale ac finitum respuit; sed per modum causæ, sicuti creatio & alia, in tempore à Deo præstita; de Deo enunciantur, non quasi indè in Deo aliqua fiat mutatio, sed quod creatura Deo causante aliter se atq; aliter habet; vt ità pœnitentia Dei rectiùs effectus in hominibus, *quàm* affectus in Deo *nuncupari debeat.*

Et sanè pœnitentiam hanc, cujus Propheta hoc loco meminit, effectum & mutationem in Ninivitis, *non verò in Deo variationem aliquam denotare, ex conditione promißionum & comminationum, quas cum in universum generi humano, tùm verò* Ninivitis *in specie Deus per Prophetã insinuari curat, constare potest. Hæ n. absolutæ non sunt, sed conditionatæ, adeoq; hujusmodi, vt si ad Deum ex toto corde* Ninivitæ *reverterentur, se æternùm non perituros, ex invariabili Dei misericordia & promißionum divinarum immobili veritate certo certius scire possent: Hac igitur conditione impletâ, Dei sanè voluntas una manet, eademq;,* Ninivitis *contrà à statu peccati ad seriam pœnitentiam con-*

sis. Hocipsum eodem modo nobiscum adstruit S. Hieronymus, *quando de praesenti loco sic scribit:* Ad preces Ezechiæ & Ninive Dei sententia commutata est, non vanitate Iudicij, sed eorum conversione, quæ meruere indulgentiam: Neq; enim Deus hominibus sed vitijs irascitur, quæ cùm in homine non fuerint, nequaquàm punit quod mutatum est. *In commentario super 4. caput* Danielis.

LOCI DOCTRINÆ.

I. CùmDeus ad opera Ninivitarum *respexisse dicatur, eaq; calculo suo approbaverit, non immerito quæritur; quidnam sit illud, quod opera nostra tantoperè commendet, vtq; à Deo ea clementer respiciantur, efficiat. Si enim illa ex se & suâ naturâ æstimentur, & ad Legis divinæ rigorem examinentur, nulla, ne sanctißimorum etiam hominũ opera legi exactè correspondere, aut perfecta esse, longè est certissimum: atq; eã quidẽ ob causam universam nostram justitiã* panno menstruatæ, *rei longè fœdißimæ, Spiritus sanctus comparat. Esa. 64. versic. 6. nosq;* cum omnia fecerimus, servos inutiles adhuc esse *dicit Luc. 17. versic. 10.*

Respicit itaq; ad opera nostra Deus eaquè approbat, primo propter summũ bonorum operum authorem, qui Spiritus sanctus est, velle & perficere *in nobis operans,* Philip. 2. *versic. 13. Hujus enim Cooperarij etsi renati nominantur, ipse tamen in edendis novæ vitæ actionibus præcipuus author est, & frigida, planeque excæcata hominum corda calefacit atque humectat, ut novæ vitæ fructus proferre possint; unde & filij Dei Spiritu Dei duci dicuntur,* Rom. 8. *versic. 14. & à Spiritu sancto in* Sequentia Festivali *cordis nostri renovationem atq; purgationem unicè petimus, quandò cum Ecclesiâ sic canimus:* Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium, &c.

Opera nostra quomodo Deo placeant. I.

Alterum quod opera Renatorum Deo commẽdat, Fides salvifica *est: Hæc namq;, quià in gratia Dei & Christi merito apprehendendo tota est hominemq; Deo reconciliat, præcipuè efficit, ut reconciliatorum*

& verè Renatorum opera in Christo fide apprehenso, & quicquid nostris operibus maculæ adhæret, merito suo contegente, Deo accepta sint, ipseq; ad ea respicere dicatur. Hoc confirmat scriptura, asserens Abelem fide præstantiorem hostiam obtulisse quàm Cain, *Ebr. 11. v. 4.* itemq; spirituales hostias per Jesum Christum Deo acceptabiles esse, *1. Pet. 2. vers. 5.* Personâ proindè in gratiâ existente, Deo placent opera ejus, non per se, sed quod personam propter filium suum, in quo nos dilexit, amat, ipsiusq; conatus, quantumvis omnibus modis perfecti nondum sint, propter fidem præcedentem approbat: Atque indè natum est, quod pervulgato isto Augustini dicto continetur: Bona videlicet opera non præcedere justificandum, sed sequi justificatum (*lib. de fide & operibus cap. 14.*) h. e. bona esse & Deo placentia, eò quod à persona fide Deo reconciliatâ, promanant.

II. Denuò in hoc Textu inexhaustæ infinitæq; misericordiæ exemplum offertur; quod quidem satis perspicuè commonstrat, eo erga nos animo Deum esse, ut ad misericordiam

cordiam ipse multò sit pronior, quàm nos ad seriam conversionem. Et quid mirũ fuerit, hanc Dei misericordiam, quâ genus humanum, à se conditum, prosequitur, tantam dicere, vt cogitationibus hominũ aut ulla humana intelligentia mensurari prorsùs non posit. Misereri enim Dei proprietas est, ab essentia divina realiter nequaquàm separata, sed cum eâdem ità ταυτὸ *quid, vt si misereri Deus desinat, Deus amplius non sit. Estq; scriptura in describendo hoc serio amoris divini erga nos affectu adeò copiosa atq; illustris, vt eũ nulla exparte mensurabilẽ, sed undiquaq; inmensum & infinitum esse, ejusq; longitudinem, latitudinem, profunditatem & sublimitatem non nisi fidei oculis conspici posse sæpiusculè asserat. Præcipui & quasi classici loci de hoc Dei* ἐλεημόνῳ *& misericordis plusquàm paterno affectu testimonium reddentes reperiuntur, Ose. 11. v. 8. & 9. Esa. 54. v. 8. Esa. 49. v. 15. Matt. 7. v. 11. Syrac. 2. v. 23. Jer. 31. v. 3.*

Misericordia Dei est proprietas essentialis.

Hæc testimonia non morosis & pertinacibus peccatoribus, sed vacillantibus & voce legis concussis, adeoq; ad desperationem

tionem propendentibus conscientijs propinanda sunt, quas gratia & misericordia Dei erigere, & ad meliorem salutis consequendæ spem reducere unicè convenit.

III. Quod Deus subversionem Civitatis Niniviticæ, *per* Prophetam *anteà indictam, visâ seriâ pœnitentiâ, intermisisse scribitur, eoipso pœnas nonnunquàm temporales quoq;, æternâ condemnatione sublatâ, aut auferri omninò, aut saltem intervenientibus fidelium precibus mitigare perspicimus: Cumq; nonnunquàm aliter procedere Deũ animadvertamus, vt nimirũ culpa & pœnâ æternâ remissâ aliquid calamitatis temporalis suis dilectis adhuc immittat, quænam hujus diversitatis causa sit, & quo nomine istæ afflictiones fidelium veniant, jure quæritur.*

Pœna temporalis, æternâ remissâ, cur semper nõ auferatur, juxta Pontificios.

Pontificij, vt suprâ in recensione tertiæ partis pœnitentiæ, istis hominibus usitatæ, vidimus, calamitates temporales filijs Dei impositas satisfactionum nomine venditant, quæ ad Deum reconciliandum, ipsiusq; gratiam plenè promerendam aliquâ ex parte adhuc faciant, intervenente autem bullâ, indulgentias papales promittente, redimi omninò possint.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0382
DFG

At enim cùm omne, quicquid & culpæ & pœnæ tàm temporalis quã æternæ rationem habet, ſolius Chriſti λύτρῳ *ſufficientiſſimo, coram* Deo *expiari alibi monſtratum ſit, hoc ſatisfactionum & Papalium indulgentiarum commentum ipsâ vanitate vanius eſſe, & quicquid crucis & incommoditatis ſanctis obvenit (quantumvis carni id inſuave ſit) non pœnæ propriæ rationem habere, ſed caſtigationem Dei paternam nominandum eſſe, liquidò conſequitur: Atq; quomodò hæ δοκιμασίαι à preſſuris impiorum differant, ſuprà in enarratione capitis ſecundi oſtenſum eſt.* Satisfactionis Pontificiæ vanitas.

Cur verò non nunquã afflictionibus hujſmodi homines ſibi jam tùm reconciliatos Deus exerceat, cauſas habet longè graviſſimas. Afflictionum temporalium veræ cauſæ

Primò enim quià ea eſt humanæ mentis caligo atq; oblivio, ut rei præteritæ facilimè obliviſcatur, hinc motus Deus, calamitatibus temporalibus præterita delicta noſtra in memoriam nobis revocat, eorumq; agnitionem & odium tanquàm μνημοσυνῳ *memoriæ noſtræ infigit.*

Præte-

Præterea faciunt hæc castigationes quoq; ad subjugandam carnem nostram, ut ea cruce quotidianâ tanquàm cote acutior reddita, Deo promptiùs inserviat, sibiq; à peccatis eò studiosius caveat; atq; tùm cum in hujusmodi calamitatibus modum Deus perpetuò servat, ut amaris dulcia nonnunquàm misceat, & crucem viribus nostris plurimum adæquet. Huc pertinent dulcissimi scripturarum loci, γλυκύπικρον *istud in castigationibus Dei paternis describentes, quales reperiuntur cùm alibi, tùm verò præcipuè, Psal. 89. versic. 33. & 34. Jerem. 30. versic. 11. 1. Corinth. 10. versic. 13. Hanc igitur Dei vicissitudinem considerantes, & pro avertendis pœnis temporalibus preces impigrè faciamus; & si ea omni ex parte sublatæ non fuerint, tanquàm castigationibus Dei planè paternis colla ijs filiali reverentia submittere discamus.*

ENAR.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI.

Argumentum & Disposítio.

QUartum hoc caput Prophetæ nostri gravissimũ lapsum denuò describit. Is n. videns, quadraginta diebus elapsis Niniven *nondùm everti, adversus Deum insurgit, & fugam suam, quâ Deum anteà graviter offenderat, palliare atq; excusare incipit: quinimmò, se vitæ diuturnioris tædio capi & mortis terminum prorogationi vitæ anteponere ostendit, Deumq;, ut animam suum amodò tollat, unicè petit. Hanc injustissimam* Ionæ *indignationem verbis & facto Deus acerrimè reprehendit, & occasionem ab hederâ subitò corruptâ (super qua denuò Propheta commovebatur) suã erga* Ninivitas *declaratam misericordiam commendandi, desumit.*

Melioris ordinis causâ caput hoc quartũ in duas partes dividi potest: Prior Prophetæ 1.
Jonæ super misericordiâ, Ninivitis *à Deo exhibitâ, commotionem explicabit: Posterior verò, quàm congruè Deus Prophe-* 2.

tam

tam refutaverit, quasq; misericordiæ suæ, in Ninivitas *collatæ, rationes adduxerit, aperiet.*

PARS PRIMA.

Paraphrasis Textus.

RECTÈ Poëta: Invidus, *inquit*, alterius rebus marcescit opimis *(Horat. ad Lollium) cujus rei evidens exemplum in Propheta nostro occurrit. Cum namque* Ninivitæ *non peccatorum solummodò condonationem, verùm etjam pœnæ temporalis remissionem à Deo impetrassent*, Ionas, *qui hoc nomine* Ninivitis *congratulari, & sibi ex animo gaudere debebat, invidens eis tantam felicitatem, excandescit, & veritatem comminationum divinarum in dubium quodammodò vocare præsumit. Hunc Prophetæ lapsum Spiritus sanctus mirificè exaggerat, dicens*
Vers. 7. *primò*; Afflictum fuisse Jonam afflictione *non vulgari, sed* magnâ, *quam afflictionem, ad tristitiæ subitò expirantis differentiam, mœrorem cum Philosopho nominare possis (Scaliger exercit. 312.)*

Alte-

Alterum, cujus nomine Propheta reprehenditur, illud est, quod non afflictus tantùm, sed etjam iratus *fuisse legitur; unde hanc ejus commotionem ex animo, malè erga* Ninivitas *affecto, provenisse, si, quæ de ira Philosophi etjam disserunt, attendantur, colligere licet.*

Discrimen namque isti faciunt inter μίσος *&* ἔχθραν, *ità ut* ἔχθρα *sit sine afflictione,* μίσος *contrà sive odium cum afflictione conjunctum. Hic ergò quià Propheta afflictus, iræ simul locum dedit, odio erga* Ninivitas *flagrasse, eorumquè interitum unicè expetivisse constat. Cum verò odium cordis quandam dilatationem causet, hocquè motu calor ab intimis ad externas corporis partes evocetur, hinc fit, ut irati sesè continere nequeant, sed manibus, pedibus, linguâ, alijsq; externis membris interioris commotionis signa edant; hujusmodi itaq; perfecti odij signum in* Propheta *nostro extat, quod quidem (ut tertio loco Spiritus S. annotat) lingua declarat, & cum Deo hunc in modum contendit.* An non, *inquit,* justè anteà voluntati tuæ me subduxi, *& vastissimum mare ingres-*

μίσος et ἔχθρα. quid differant. Scal. excert. 312.

Scal. excert. 313.

Odij natura.

Vers. 3.

ingressus sum, quandoquidèm tunc quoq; quod clemens & misericors sis, patiens, & multæ miserationis, quodq; hominibus pœnitentiam agentibus pœnam indictam remittas, nescius non eram: *proindè cum illud in terrâ Israëliticâ (illã enim* suam *terram à loco ortus & primæ prædicationis nominat) tibi obtenderem, indeq; de prædicationis in* Ninive *habendæ eventu dubitarem, & propterea oblatam mihi à te spartam subterfugerem, tu jam quo jure tempestatem mei causâ excitaveris, meq; in ventre balenæ excruciaveris, si quidẽ omnes meæ cogitationes & dicta eventu comprobata sunt, tecum reputa.*

In hac suâ coram Deo institutâ contentione porrò pergit, & præ nimia amaritudine mortem sibi exoptat: Domine *dicit, quandò per misericordiæ tuæ magnitudinem* Ninivitis *pœna à me jussu tuo annunciata condonatur, sicq; mihi metuendum, ut unà cum prædicatione mea ludibrio* Ninivitarum *me in posterum exponam, nunc adeò usq; vitæ me tædet meæ, ut mori mihi, quàm in tanto contemptu diutiùs*

super-

supervivere satius sit: te itaq; qui & inobedientem debito rigore hactenus correxisti, & obedientem varijs vicissitudinibus objecisti, ardentissimis gemitibus compello, obtestor & obsecro, ut animam Vers. 3.
meam à me auferas, & finem vitæ meæ *cum mors mihi, quàm vita sit melior,* acceleres.

Hæc ubi fervore, sine dubio satis acri, coram Deo Jonas *prolocutus est, partim quod* Ninivitarum *conversationem amplius non sustineret, partim verò quod adhuc fore sperabat, ut locus iste everteretur,* civitate egressus, sibiq; ex adverso Vers. 5.
umbraculum quoddam, cuius umbra contectus à solis calore nimio tutus esset, *confeciſſe scribitur. Sub hoc umbraculo aut scenâ (uti istam* Jonæ *structuram septuaginta nominant) Propheta delitescens, quot diris* Ninivitas *devoverit, quomodoq; super eorundem conservatione indignatus sit, & quantoperè omnia eis mala, extremamq; eversionem imprecatus fuerit, quis est, qui aut cogitando assequi, aut dicendi facultate sufficienter exprimere queat. Spiritui sancto animum dictaq;*

Prophetæ paucis istis verbis exprimere, satis fuit, cum inquit; hoc fine sub scena, Vers. 5. *ista* Ionam *consedisse, ut videret, quid accideret civitati.*

LOCI DOCTRINÆ.

I. Rursus in Propheta Jona, paulò antè severissimâ castigatione in viam revocato, gravissimorum lapsuum, sanctis quoq; & regeneratis nonnunquam competentium, vivum exemplar ostenditur. Qui enim anteà diffidentiam suam in Deum, inobedientiâ declaraverat, is nunc ad vomitum denuò rediens, congeriem quasi & acervum peccatorum simul edit, inq; Deum creatorem & Dominum suum multis modis gravissimè delinquit: Utq; gravitas hujus lapsus in conspectu sit, aliquot insignia vitia, in Jona hoc loco concurrentia, ordine enumerabimus.

Lapsus Prophetæ Ionæ quantus fuerit.

Primum est odium proximi, *eoipso comprobatum, quòd, cùm Deum* Ninivitarum *conversorum misereri videret, ipse eosdem perire, quàm suam (ut putabat) authoritatem labefactari mallet; idq; contra regulam Christi, quâ jubemur* diligere proximum nostrum, *sicut nos ipsos. Matth. 22. v. 39.* Alte-

Alterum hoc loco in Iona *culpandum est illud, quod Deo sese opponit, & Domino suo immodestè* obmurmurat, *quem primò insimulat nimiæ alicujus lenitatis, eò quod omnibus ad se confugientibus gratiam atq; misericordiam promiscuè exhibeat; secundò injustitiæ, dùm se justè antehac fugam arripuisse, sicq; præter meritum punitum esse, subindicat.*

Tertium Ionæ *delictum est* impatientia, *quæ tantoperè à viro pio & religioso abesse debet, ut etjam* gloriari sub cruce *eum cum* Apostolo *oporteat. Rom. 5 versic. 3.*

Hæc nimirùm illa vitiorum farrago est, quæ simul in Iona, *viro Prophetico Spiritu prædito, à Spiritu sancto hoc in loco annotatur, quam intuentes, nostræ imbecillitatis & astutiæ diabolicæ memores, indesinenter oremus,* Domine ne inducas nos in tentationem.

II. Non abs re fuerit hoc in loco quærere, quâ de causa tàm multiformia sanctorum peccata Spiritus sanctus in scripturis adeò diligenter annotari curaverit, idq; eò magis, cũ constet, varios sanctissimorũ hominũ

lapsus ijsdem, interveniente seriâ pœnitentiâ, à Deo verè remissos atq; condonatos fuisse, vt sic quoq; eorundem memoria, hominum judicio, obliterari meritò debuisset: Intereà videas, eorum etjam delicta, quibus justitiæ & beatitudinis testimonium Spiritus sanctus perhibet, accuratissimè in scripturis consignata, & ad posteritatem transmissa esse; quod ipsum observans B. Augustinus: Non facilè, *inquit*, scriptura tàm magnum alicui justitiæ testimonium perhibet, quàm tribus istis Dei famulis, Noæ, Danieli & Jobo, quorum nihilominus peccata accuratè Gen. 9. Dan. 9. Jobi 9. annotat *(libro de peccatorum meritis & remiss. cap. 10.) Hujus rei causas investigare utile simul ac jucundum erit.*

Sanctorum lapsus in scripturis diligenter consignati sunt.

Primò itaq; tenendum, Spiritum sanctum *vitiorum hujusmodi sedulâ annotatione nequaquàm id respexisse, vt nobis peccandi quoddam exemplar relinqueret. Ipse enim cum sanctus sit & peccatorum hostis longè acerrimus, absit, vt talia de summo scripturarum authore cogitemus.*

Sed neq; hoc fine sanctorum transgressiones

siones in scripturis relatæ sunt, vt nobis horum exemplorum recensione Spiritus altissimi illudat, & quod inter homines offensos fieri moris magis quàm juris est, transgressiones nobis nostras, merito Christi semel condonatas, contumeliosè exprobret: quin potiùs Spiritus sanctus ipse ille est, qui peccata nostra pallio justitiæ Christi contegit, quiq; nostro Spiritui auxiliatur, & in quavis perturbatione validissimè succurrit.

Causæ proindè, ob quas errata sanctorũ ad posteritatem in scripturis transmissæ sunt, etsi plures numero recenseri possunt, sequentes tamen nobis in præsentia sufficiant.

Veræ causæ cur sanctorum lapsus tantâ diligentiâ à Spiritu sancto de scriptis sint.

Primò, istorum vitiorum recensione Deus discrimen inter se, nosq; miseras & mortales creaturas ad animum revocare voluit. Ipse enim cum sit sanctus, justus, bonus &c. Idq; non aliquo tantùm perfectionis gradu, sed per essentiam, ità vt inter justitiam, sanctitatem, bonitatem & essentiam ejusdem reale discrimen non interveniat; homines contrà omnes & singulià primo usq; conceptionis, nativitatisq;

I.

tempore peccatis miserè sunt immersi, adeò ut non possit dari mundus inter eos, qui de immundo semine concepti sunt, ne unus quidem, *Job. 14. vers. 4. Hocq; ut rectius animadvertamus, & eò minus in homine fidamus, non tantum* Caini, Lamechi, Latronis in cruce, *sed etjã* Noæ, Lothi, Davidis, Iobi, Petri, *aliorumq; sanctißimorum lapsus, tanquàm domesticos nostræ miseriæ testes, nobis ob oculos ponere voluit.*

2. *Deindè quoq; istæ in scripturis sanctorum expressæ transgreßiones ad instar præconis & concionatoris sunt, securitatem animis nostris excutientis, &* peccatorum deformitatem *quasi in speculo aliquo commonstrantis.* Ideò enim, *inquit*, Clemens Alexandrinus, Noæ indecora ebrietas scripta est, ut ebrietatem quàm maximè vitemus, manifestam, scriptisquè mandatam lapsus imaginem habentes, *lib. 2* Pædagogi *cap. 2. in fine*. *Et huc omnes istæ in scripturis adversus securitatem contentæ commonefactiones congerendæ sunt, quæ nihil sunt aliud, quàm hujusmodi vitiorum, in quæ sancti passim prolapsi leguntur, solidæ explicationes,*

qualia invenies, 1. Pet. 5. vers. 8. 1. Cor. 10. vers. 12.

Tandem quoq; eo fine sanctorum vitia posteritati non ignota esse Deus voluit, vt, sicubi nostrum quis in peccata mortalia, & Spiritum sanctum excutientia, prolabatur, non omnem continuò spem de recuperandâ gratiâ Dei & remissione peccatorũ penitus abjiciat, sed considerans praxin pœnitentiæ sanctorum, eorundemq; vestigijs insistens, ad Deum regredi, cumq; eodem in gratiam redire discat; quâ quidem in parte facem cuivis præferent, longè lalatèq; fulgentem, seria Davidis *pœnitentia, Psal. 51. verbis admodùm patheticis descripta;* Petri *fletus ob Christi abnegationem amarissimus, aliaq; his similia exempla, passim annotata.* 3.

III. Discimus quoq; ex odio Ionæ, *quod adversus* Ninivitas *fovit, & prædicationis eiusdem ad dictum odium collato eventu; fructum, vim atq; efficaciã verbi prædicatinon à prædicantis dignitate, voluntate aut intentione: sed ex Dei benedicentis nutu, ipsiusq; verbi divini insitâ verè divinâ authoritate dependere.* Ionam

Verbi prædicati vis & efficacia à prædicantis animo minimè dependet.

namq;

namq; quod attinet, patet, ipsum suo officio inter Ninivitas sic defunctum esse, vt Dei tantummodò mandato & voluntati satisfaceret, parùm interea sollicitus de Ninivitarum salute, quorum subitaneam eversionem anxiè sperabat. Eadem exempla, in alijs, etjam Prophetico & Apostolico munere præditis occurrunt, commonstrantia, hujusmodi quoq; Personas nonnunquàm, vt vt veritatem verbi divini satis dextrè annunciaverint, in vita & conversatione nonnihil impegisse, & contra propriam suam prædicationem in moribus aliquid commisisse, vt videre est in Propheta seu viro isto Dei, ad Jeroboamum misso, vt altari de eversione cultus idololatrici prædicaret: qui etsi quidem jussu Dei in Bethel verbum Dei rectè annunciat, in vitâ tamen & moribus Deo inobediens factus est, quô fit vt à Leone domum rediens discerpatur 1. Reg. 13. v. 24. Similiter de Petro Apostolo quoq; constat, quod in vita & conversatione reprehensibilis fuerit, minusq; rectè ad veritatem Evangelij ambulaverit, Gal. 2. v. 10. & 14. Et dubium non est, hodie etjamnùm haud

haud paucos reperiri, qui etsi doctrinam Propheticis & Apostolicis scriptis per omnia convenientem proferunt, in vitâ tamen & moribus vel maximè reprehensibiles existunt. Vitia itaq; personarum ab opere ministerij probè discernenda sunt, siquidem illa personis adhærent, hoc à Deo, in Prophetis quidem & Apostolis immediatè, in alijs autem, quatenùs priorum scriptis consona docent, mediatè dirigitur.

Ministrorũ Ecclesiæ vitia personalia fructum verbi non remorantur.

Hocipsum quoq;, quod de verbi prædicatione dicitur, ad sacramentorũ διακονίαν *omninò pertinet, quæ, quià verbi quasi sigilla sunt, immò ut* Augustinus *loquitur*, verbum visibile; *itidem valorem suum, ob personæ administrantis malitiam non amittunt, siquidem nec ab administrantis bonitate aut intentione, quòd efficacia ea sunt, (quantumvis etiam Pontificij id somnient) proficiscitur, utpotè quod unicè ex institutione divinâ, ritè & ex præscripto Dei observatâ, promanat. Futilis proinde & hæretica est* Donatistarum *antiquorũ sententia, ante annos mille & trecentos circiter, in* Africanis *Ecclesiis primùm exorta, quasi Baptismus ab Hæreticis aut*

Intentio administrãtis Sacramenta ipsis Sacramentis neque prodest neque obest.

Donatistarum deliriũm.

schismaticis collatus nullus sit, adeoq; reiterandus. Qua de sententia legi potest Eusebius *lib. 7 Histor. Ecclesiastic. cap. 2. & 6.* Augustinus *libro unico de Baptismo cap. 13. & alij.*

Ad horum furorem Pontificios modernos propiùs quodammodò, accedere apparet; isti namq; etsi fidem, probitatem aut improbitatē ministrātis, Sacramentorū efficaciæ neq; obesse neq; prodesse *sese declarāt: (Bellar. lib. 1. de Sacra. in genere, cap. 26.)* Intentionem tamen administrantis Sacramenta, faciendi id quod Ecclesia facit, ad Sacramenti perfectionem necessariam esse *mordicùs defendunt, sicuti hunc errorem latiùs exponit idem* Cardinalis *(lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 27.)*

Pontificiorum de intentione ministri, Sacramenta dispensantis error.

At verò, cum Sacramentorum efficacia perfectioq; ex eodem illo fonte, ut diximus, promanet, unde verbi prædicati vis suam trahit originem, vel Ionas *solus, quippè cujus intentio à Dei voluntate & propriæ prædicationis eventu multùm aberat, hanc Romanensium opinionem falsam esse, suo exemplo clarè ostendit.*

IV. Rursus Ionas *suâ illa coram Deo*

institutâ contentione infinitæ Dei misericordiæ *testimoniũ reddit augustißimum, quam quibus penè & quàm sublimibus verbis commendet, satis non invenit, ideoq; quinq; distinctis vocibus eam effert, nominando Deum clementem, misericordem, patientem, multæ miserationis, ignoscentem super malitia: quæ Dei misericordis elogia ex secundo libro* Moysis *eiusq; capite tricesimo quarto. Psal. 103. 104. 105. secundo capite* Ioelis, *alijsq; scripturæ locis Prophetam mutuatum esse, omnimoda verborũ syllabarumq; harmonia plus satis evincit. Quia vero hic doctrinæ locus suprà fusius tractatus est, eò lectorem merito remittimus.* Misericordiæ Dei testimonium.

V. Illud verò etjam ut expendatur, dignum existimamus, quod Propheta mortẽ sibi, idq; semel atq; iterũ exoptat, de cujus facti specie bonitateq; quid sit judicandum, paucis delibabimus. Desiderium mortis sit ne bonum.

Sanè si exẽplis judicandũ sit, similia exempla in sacris & prophanis historijs passim offerũtur, quæ mortis desiderio homines nõnũquã flagrasse, illiusq; terminũ nõ optasse tantũ, sed etjã manus sibimetipsis violẽtas

infe-

Cato αὐτόχειρ

inferendo, acceleraſſe teſtantur. De Catone conſtat, quòd, cùm in pugna ad Pharſaliam Pompejus *à Cæſare victus ſuccubuiſſet, quià ſub* Cæſaris *tyrannide vivere dedecus exiſtimabat,* Uticæ, *perlecto prius bis eâdem nocte* Platonis *phædone de immortalitate animæ, gladio ſe transfixerit. Vives in caput 23. lib. 1. de civit. Dei Auguſtini.*

Auguſtinus Tom. 3

Demoſthenes ſimiliter.

Demoſthenes *quoq; cùm jam ad* Antipatrum *deportandus eſſet, in librum quendam juxtà aram, ad quam ſeceſſerat, incumbens, tanquàm ſcripturus aliquid, venenum ex calamo hauſit. Philippus in Chronicis lib. 2. fol. 131.*

Prophana hæc ſunt, ideoq; ad illa, quæ in ſcripturis extant, exempla nos convertamus, inter quæ illud poſtremum non eſt, quod de Razia Iudæo *refertur, qui ut manus* Nicanoris *effugeret, ſemetipſum interemit; quòd tamen factum author iſtius ſcripti laudibus quodammodò proſequitur, quandò* Raziam *hunc* gladio perire, & nobiliter mori, quam peccatoribus ſubditum fieri maluiſſe *ſcribit 2. Maccab. 4. verſic. 41. 42.*

Sic

Sic quoq; tædio hujus vitæ affectos fuisse legimus Mosen, *Num. 11. versic. 15.* Eliam *1. Reg. 19. versic. 4.* Jobum *Iobi 7. versic. 15. & 16.* Paulum, *2. Corinth. 1. versic 8. aliosq;.*

Contrà hæc exempla verò rationes quædam, eorum bonitatem non parùm improbantes, militare videntur. Rationes factorum præcedentium bonitatem in dubium vocantes.

Primò enim constat, mortem nihil aliud esse, quàm peccati, *vt* Apostolus *loquitur*, stipendium, *Rom. 6. versic. 23. quæ quià naturam hominis horribiliter destruit, & animam à corpore plusquàm tyrannicâ sævitiâ disjungit, crudelitatis cujusdã videtur esse indiciũ, eam tã topere expetere aut accelerare. Hac ratione motus* Augustinus, *quandò* Lucretiæ, Catonis Uticensis, *aliorumq;, sibimetipsis manus inferentium exempla recenset*, non quid factum sit, sed utrum faciendum fuerit, quærendum potissimum esse, *rectè monet. (Tom. 5. operum Augustini, lib. 1. de civitate Dei, cap. 31.)* 1.

Prætereà cum μακροβιότης donum Dei *sit, vti ex promissione, quarto præcepto annexâ, aliisq; scripturarum locis videre* 2.

est,

est, hoc vitæ tædiũ donorum quodammodò Dei contemtum secum trahere, atq; eam ob causã meritò improbandũ esse, apparet.

3. Denicq; constat terminum vitæ & mortis cujuscunq; & præcipuè fidelium, à Deo determinatum esse, in cujus manibus sunt sortes nostræ & tempora nostra, *Psal. 31. v. 16.* qui determinat dies hominis, & apud quem est numerus mensium eius, *Jobi 14. v. 5* quo fit, ut eos, qui mortis adeò sunt cupidi, eamq; tantoperè exoptant, providentiæ divinæ quicquã præscribere, eiq; vim quodammodo inferre, dicere posimus.

Ratio dubitandi in contrarium.

Cæterùm cum econtrà absonum sit, asserere, Eliæ, Pauli, aliorumq; præstantiorũ virorum singulares & planè heroicos motus omninò improbandos esse, quæ tãdẽ horum, aliorumq; votorum aut factorum sit differentia, paucis erit commonstrandum.

Quæstionis decisio.

Initiò itaque tanquàm axioma inter Christianos illud irrefutabiliter verum præmittimus, quòd αὐτοχειρία sit prorsus illicita, & quinto præcepto è diametro oppositа. Sicuti *enim* militi non nisi jussu Imperatoris è statione est discedendum, ita nec nostra, nec alterius anima è corpore, nisi Deo volente & jubente,

αὐτοχειρία est illicita.

educenda est, *quemadmodùm* S. Ambrosius *appositè loquitur (lib. 3. offic.) Atq; eam ob causam rectè quidē* B. Augustinus *circumcelliones istos antiquos*, Donatistas *videlicet, ut alios, hypocriticâ quadam κακοζηλίᾳ martyrio sese offerentes, reprehendit, contrà quos alicubi sic scribit*: Vide, ne tibi subrepat, ut teipsū velis interimere, sic intelligendo, *(dictum scilic. Christi, in quod isthic commentatur)* quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc n. quidam maligni atq; perversi homines, & in seipso crudeliores & sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidūt & pereunt. Hoc Christus non docuit, immò etjam Diabolo, præcipitium suggerenti, respondit; Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans, qua morte clarificaturus erat Deum, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas; cum autem senueris, alter te feret & cinget, quo tu non vis: ubi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi [*Tract. 51. in Joh. Tom. 9*]

Hinc

Raziæ factum quanti sit faciendum.

Hinc igitur non tantùm de Ethnicorum, semetipsos interficientium, verùm etjam de Raziæ *facto, quod nimirùm illud culpabile sit, judicium fieri potest. Nec obstat, quod liber Maccabæorũ* Raziam *hoc nomine commendare videtur; siquidem, præterquàm quod* Iudæi, *veteris Ecclesiæ Bibliothecarij,* scripturâ Maccabæorum sicut legem, Prophetas & Psalmos non habent, istam quoque Raziæ morté mirabiliorem quam prudentiorem, & tantùm, quemadmodùm facta est, non quomodò facienda fuisset laudare scriptura voluit, *vti alio in loco sæpè citatus* Augustinus *scribit. (Contra secundam Gaudentij Epistolam lib. 2. cap. 23.)*

Sanctorum etjam desiderium mortis non est unius generis.

1.

Vota verò Moysis, Eliæ, Iobi, Ionæ, Pauli, *& aliorum quod attinet, si, quo animo, quibusq; circumstantijs prolata fuerint, consideretur, non unius generis esse, sed multum inter se differre est perspicuum. Vtq; hæc diversitas clariùs conspiciatur, attendendũ est, primò quosdam crucis & calamitatum hujus seculi impatientes, mortem sibi & quidem cum Stomacho*

cho & indignatione exoptasse. Deindè reperias alios, qui impulsi amore æterni gaudij & dulcissimæ conversationis cum Christo, se vel tandem, vt satis exagitatos, è statione ærumnosæ hujus vitæ dimitti, ac cœlicolis accenseri anxiè sollicitarunt. Priores sanè minus rectè sibi mortem exoptare inde est certum, quod crucem, quæ Christianorum individuus comes est, omni hilaritate & patientia eos excipere oportebat, vtpotè per quam Christo configurantur, & auri instar, vt in futura vita eò sint puriores, purgantur. Posteriorum conatus hoc nomine improbari non possunt, quod ij dilectionis Christi quasi testes sunt, vt quibus hominibus vivere Christus est, & mori lucrum, *Philip. 1. v. 21.* 2.

Pij & justi desiderij mortis conditiones quænam.

Illud saltèm in votis sive desiderio mortis posteriorum notandum fuerit, conditionatum illud esse oportere, vt nimirùm, si Deo ità visum sit, siq; Ecclesiæ conducat, tum se demùm emigrationem ex hac vitâ, longiori curriculo anteponere, & mortem longævitati anteferre, significent. Etsi n. vitæ æternæ bona sine omni conditione optanda & petenda sunt, tempus tamen hæ-

reditatem istam occupandi cum DEus *sibi soli reservaverit, divinæ voluntatis determinationi, eius vel acceleratio, vel prolongatio cum devotissimâ animi subjectione omninò relinquenda erit. Harum conditionem alteram probè observat.* Apostolus, *quandò se dissolutionem corporis & animæ suæ quidem expetere; propter Philippenses tamen, ut nimirùm fides ipsorum ministerio Apostolico corroboraretur, aliquandiù superstitem manere se malle scribit. Philip. 1. v. 25. His proindè circumstantijs rectè ponderatis,* Iobum & Ionam *mortem sibi exoptando peccasse,* Pauli *contrà desiderium omni laude dignum esse, quilibet videt.*

SECVNDA PARS CAPITIS QUARTI.

Paraphrasis Textus.

QUià *hactenus* Ionam *indignabundum, & cum Deo de misericordiâ,* Ninivitis *exhibitâ, contendentem audivimus, age nunc quoq; Deum semet defendentem & Ionæ respondentem itidem audiamus.* Refel-

Refellit autem Dominus Ionam *dupliciter; Primò quidem verbis, eò quòd institutam querelam minus justam fuisse subindicat:* Putasne, *inquit*, quod benè irasceris tu? *quam reprehensionem, satis pro tàm grandi Prophetæ delicto mollem, denuò repetit, vers. 9.* putasne, *dicens*, benè irasceris super hedera? Vers. 4. & 9.

Hac verò interrogatione tacitè Prophetæ injuriam, quam Deo linguæ intemperie anteà intulerat, ad animum revocat: Dispice, inquiens, mi Jona, quo jure tu, qui terra & pulvis es, quiq; in peccatis conceptus & genitus es, adeò, ut, si juxta justitiæ meæ rigorem tecum procedere liberet, vel in hoc momento æterno interitui, sententiâ longè justissima, te adjudicare possem; tu, inquam, dispice, & re rectius, fallacibus, istis affectibus tuis depositis, ponderatâ, ipsemet judica, quantæ sit temeritatis, quãtumq; flagitiũ, Domino & creatori suo tàm atrociter resistere, ipsiusq; nunquã satis laudatæ aut commendatæ misericordiæ, justæq; sentẽtiæ dicã adeò superciliosè scribere? ut itaq; eò rectiùs & melius ad lapsus sui agnitionem Prophetæ Cur Deus quærendo

non verò culpando, Prophetam corrigere voluerit, causa.

perveniret, quærendo quàm culpando, rogando quã condemnando Jonæ temeritatẽ Deus detegere voluit; quem reprehensionis modum in scripturis sæpius observari deprehendimus, vti videre est Gen. 4. v. 10. Luc. 7. v. 42. Luc. 10. v. 36. Matth. 21. v. 25. & alibi.

Secundò; facto quodam evidenti atq; perspicuo Jonæ injustum Zelum redarguit Deus: Cum enim, vti paulò antè audivimus, scenam sive umbraculum quoddam extruxisset Propheta, idq; in tàm calidâ regione eidem umbræ satis non præberet, Deus *initiò* hederam *sive cucurbitam quandam, cujus foliis latioribus contegeretur,* præparasse *dicitur. Ebræi* [Kikajon] *hanc herbam nominant; quæ cujus speciei fuerit, interpretes mirè inter se dissentiunt, quo factum est, vt vocis hujus translatio ingentes jam olim in Ecclesia turbas dederit.*

Hieronymus *conqueritur, se à* Canthelio *quodam, de antiquissimo* Cornelio*rum sive* Asinij Pollionis *genere oriundo, sacrilegij Romæ accusatum, eò, quòd pro cucurbita hederam transtulerit; quem tamen*

tamen satis scopticè idem Hieronymus *vicißim irridet, dicens*; Metuisse hunc Canthelium, ne si pro cucurbitis hederæ nascerentur, undè ut occultè & tenebrosè biberet, habiturus non esset. (*Tom. 6. operum minorum.*)

Præterea constat, super hujus voculæ versione duobus istis præclarißimis Ecclesiæ luminibus, Hieronymo & Augustino *non satis convenisse, uti ex undecima Epistolâ* Augustini, *Tom. 2. operum ejusdem contentâ, videre est: In qua* Hieronymus *ad* Augustinum *indignabundus inter alia sic scribit:* Si Kikajon transferre voluissem, nullus intelligeret; si cucurbitam, id dicerem, quod in Ebræo non habetur: hederam posui, ut cæteris interpretibus consentirem: Sin autem Judæi vestri, ut ipse asseris, malitiâ aut imperitiâ hoc dixerunt esse in voluminibus Ebræorum, quod in Græcis & Latinis codicibus continetur, manifestum est, eos aut Ebræas ignorare literas, aut ad irridendos cucurbitarios voluisse mentiri. *Et porrò*; Tu, *scribit* Augustino, qui juvenis es, & in Pontificali culmine con-

ſtitutus, doceto populos, & novis Aphricæ frugibus Romana tecta locupleta: mihi ſufficit cum auditore & lectore pauperculo in angulo monaſterij ſuſurrare. *Hactenus* Hieronymus.

Quicquid ſit, ſive κίκι, ſive vitis alba, ſive demùm cucurbita, aut hedera fuerit, nos in deſcriptione Hieronymi, *Authoris longè probatiſſimi, hac vice acquieſcimus, qui dicit* Kikajon genus virgulti fuiſſe, lata habens folia in modum Pampini, quod cum plantatum fuerit, in arbuſculam citò conſurgat, absq; ullis calamorũ atq; haſtilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, ſe ſuſtinens.

Kikajon quid ſignificet Hieronymo.

Verſ. 6. *Spiritus ſanctus duo ad hanc hederam annotat, dicens primò, ejus cauſam efficientem fuiſſe* Dominum. *Textus habet:* Et præparavit Dominus hederam; *Quomodò autem, & quàm citò à Domino producta ſit, infrà verſu 10. declarat, quandò* unâ nocte eam natam eſſe *teſtatur, unde colligere in promptu eſt, circa productionem hujus virgulti ordinarij quid, aliquid etjàm miraculoſi accidiſſe. Ordinario enim*

enim & consueto naturæ cursu è semine huic speciei proprio accrevit: unâ verò nocte quod virgultum tanta sumpsit incrementa, ut Prophetæ contegendo satis esset, singulari Dei auxilio atq; virtute effectum esse, omninò videtur.

Alterum, quod de hedera hac Textus commemorat, est finis, ad quem producta fuit designatio: præparavit *inquit Propheta*, Dominus hederam, ut esset umbra super caput Jonæ, & protegeret Jonam labore defatigatum. *Hujus virgulti sive hederæ usu* Jonas *mirificè recreatus est, neq; id immeritò.* Vers. 6.

Præterquàm enim, quod consideratio subitaneæ productionis tanti virgulti perquàm jucunda fuit, Propheta hinc etjàm de gratia divina, sive tunc tanquàm lasso & defatigato opitulante nonnihil factus est certior, quò fit, ut lætitia, *eaq;* magna lætatus fuisse *dicatur. Nec dubium est, quin pro tàm jucundâ refectione, quàm sub umbrâ hederæ Propheta expertus est, solemnes gratias Deo peregerit, & laudes divinas sonorâ voce decantarit.*

Cæterùm uti nihil in humanis stabile satis

est, sed omnia succedentibus vicissitudinibus plerumq; permutantur, ità quoq; hoc Jonæ gaudium solidum & durabile non fuit. Idem enim ille Dominus, qui hederam è terra subitò produxerat vermem ascensu diluculi præparasse *dicitur, à quo toties dicta hedera* arrosa esset, ea confestim exaruit. vers. 7.

Hunc vermem Theophylactus Erucam *nominat, eò,* quod ex rore sub auroram decidente, *vt idem loquitur,* generationis principium ducat.

At verò Deo, nondum satis esse, visum fuit, umbrâ hederæ Jonam privare, ideoq; novâ insuper calamitate Prophetam afficit, quandò nimirùm venti intemperie, & solis æstu vehementiore eundem probè exagitari curat: *quam adversitatum diversarum congeriem Propheta, crucis alioquin impatientissimus, denuò adeò ægrè tulit, vt* mortis terminum in solatium inter hasce afflictiones advocarit. *Atq; tunc divina majestas tempus esse rata est, misericordiam suam ergà Ninivitas pœnæ temporalis remissione declaratam, defendendi, Jonamq; alacrius, quàm antè factum* vers. 8.

ctum erat, compescendi; proindè his eum verbis alloquitur: Heus Jona, si quæ perturbationis tuæ causa sit, altiùs rimeris, vix aliam assignare poteris, quàm eam, quòd usu hederæ istius, ædiculæ tuæ accommodatissimæ, me ità volente & disponente, privatus es: neq; enim tu vel ullo aliquo titulo aut jure, te Dominum dicti virgulti venditare potes, cum ego illud omnipotente mea virtute unâ nocte produxerim, rursusq; prudenti voluntate unâ nocte perdiderim, ut ità ortus & interitus hederæ hujus mihi soli rectissimè adscribendus veniat. Quodsi verò adeò iniquum esse censes, vilem arbusculam usui vitæ tuæ tantummodò destinatam, de qua tamen mihi pro libitu statuere licet, exscindere: tecum velim cogites, an non longè iniquius sit Ninivitarum resipiscentium curam abjicere, & homines ad me præviâ seriâ pœnitentiâ conversos, interitui destinare. Vers. 10.

Atq; hic elegans illa abjectissimæ hederæ cum amplissimâ urbe comparatio hanc redargutionem illustrat. Primùm enim abjectum illud & vile virgultum una nocte productum fuit, contrà urbs Hederæ & civitatis Ninives comparatio. 11.

adeò ampla multis seculis colligi & compleri nequivit. Præterea virgultum hoc omni sensu & ratione destitutũ, inter creaturas omnium viliſsimas, ea nimirùm, quæ tantummodò vegetantur, numeratur; Ninive vero ex hominibus constabat ad imaginem Dei primò creatis, & ad eandem post conversionem renovatis, qui Deum tanquàm rationalis creaturæ agnoscere, 2. 3. venerari & colere poterant. Porrò hedera hæc Jonæ soli inservijt: Ninive ad Deum rediens Deo & hominibus usui in posterum futura erat. Deniq; hederæ in futura vita locus aut usus erit planè nullus: 4. Ninivitici autem cives in fide perseverantes non suæ tantùm urbis, sed etjam cœlestis habitationis incolæ futuri erant.

Hæc omnia, inquit Dominus, tecum accuratius considerans Jona, utrum tua super hederâ corruptâ indignatio, an vero mea Ninivitis exhibita misericordia sit justior, ipsemet pronuncies velim; ut nihil dicam, quàm crudele adeo spectaculum futurum sit, centum & viginti mille homines, partim ætate, partim simplicitate, inter dextram & sinistram discernere Vers. 11. nesci-

neſcientes; prætereà jumenta penè innumera, *quorum me quoq; curam habere omnino oportet*, tam horrenda laniena è medio tollere. *Hæc compendiaria quaſi relatio eſt colloquij Jonæ, cum Deo inſtituti, quod procul dubio gravi Prophetæ objurgatione, & ardentiſſimâ planè παῤῥησίᾳ de vitâ in melius emendandâ, & affectibus adeo vitioſis ſerio corrigendis, finitum fuit.*

LOCI COMMUNES.

I. Quod Jonæ *lapſum longè graviſſimum Deus ſic reprehendit, ut ex ipſo* Iona *percontetur, anné ſe benè & rectè iraſci exiſtimet, eo ipſo conſcientiæ hominis munus atq; officium quodammodo illud eſſe, ut benè aut malè factorum inter Deum & homines teſtis ſit, Deus oſtendit. Potuiſſet enim divina majeſtas, idq; jure longè optimo, ipſamet in delicto adeo notorio ſententiam ferre, & juxta legem à ſe latam Jonam è veſtigio condemnare; ſed mavult Jonam, ponderatis antegreſſæ malitiæ circumſtantijs, ſibiipſi, præeunte conſcientiæ dictamine, ſententiam dicere, & ſeipſum dijudicare.*

Conſcientiæ hominis munus eſt teſtari pro homine & contra hominem.

Hæc

Hoc conscientiæ testimonium ex discrimine honesti & turpis, ipsi naturæ in prima creatione implantato, promanat, & in ijs etjam, qui salutari Dei agnitione destituuntur, Deum esse, eumq; justissimum & sapientissimum, apertè dictitat, vti commonstrat Apostolus, *quandò* gentes opus legis cordibus suis inscriptum eo ostendisse *asserit*, quod scientia unicujusvis, ut & cogitationes semet vel accusantes vel etjam defendentes, legi naturæ testimonium perhibuerit. *Rom. 2. v. 15.*

Sicuti verò testis officio vel pro nobis, vel etjam contra nos, conscientia in hac vitâ, pro rerum gestarum diversitate, fungitur, ità in extremo judicio impijs, & sine fide ex hac vita decedentibus, testimonio suo terrori cumprimis erit, quos præ angustiâ Spiritus ingemiscere faciet, & recordatione calamitatum, quibus pios in hac vitâ afflixerunt, eò adiget, vt intra se, *h. e. in conscientiâ* dicturi sint: Hi sunt, quos habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore:

Ecce

Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, *Sapient. 5. v. 3. 4. 5.*

Hujus testis domestici, in peccatis contrà nos ipsos exurgentis, nosq; condemnantis, memores, militemus bonam militiam, habentes fidem, & bonam conscientiam *1. Timoth. 1. v. 19.* neq; peccatis contra conscientiam admissis Spiritum sanctum, in quo signati sumus in diem redemptionis, contristemus, *Ephes. 4. v. 30. aut è cordibus nostris damno nostro prorsus irreparabili abigamus.*

II. Jonæ *Zelus quià tantoperè à Deo reprehenditur, perquàm commoda nobis aliquid de Zelo dicendi offertur occasio: quã ideò negligendã non esse arbitramur, quod doctrina hæc rectè ponderata varijs exemplis, quæ in scripturis Veteris & Novi Testamenti offeruntur, rectè dijudicandis prodesse poterit, licet.*

Extant autem Zeli specimina multiplicia, qualia invenire Exod. 32. v. 19. & 20. Num. 25. v. 7. Jos. 22. v. 11. & 12. 1. Reg. 8. v. 21. & 40. Actor. 5. v. 17. & alibi. Zeli exempla.

At vero allegata hæc exempla non sunt unius omnino generis; proindè, vt ea rectè dijudicare possis, tenendum initio duplicis in scriptura Zeli mentionem fieri: Zelus est bonus vel malus. *Alius enim nominatur Zelus seu æmulatio mala; quidam econtrá Zelus bonus & laudabilis nuncupatur: quam differentiam Apostolus Paulus clarè insinuat, quando de Pseudoapostolis ad Galatas ità loquitur:* Æmulantur vos non benè, sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini, *Gal. 4. v. 17. qui idem Apostolus Zelum & æmulationem maximoperè commendat, sicut videre est 2. Cor. 11. v. 2. 2. Cor. 9. v. 2. quem etjam* Zelum *posterioris generis ob sui bonitatem* Zelum Dei *expressè nominat.*

Zelus bonus quid. *Est autem bonus Zelus nihil aliud, quã æstuantis animi impetus, in rebus fidei religionisq; ea, quæ ad gloriam Dei promovendam & Satanæ regnum destruendum facere possunt promovens.*

Duæ Zeli boni quasi partes. *Ex qua generaliori descriptione duo cumprimis in Zelo, si nimirùm laudabilis is esse debeat, reperiri apparet.*

I. *Primum est, vt res sive materia, cujus gra-*

gratia Zelus instituitur, probè perspecta sit, & ex suis, ijsq; infallibilibus principijs cognita: Cumq; fidei principium genuinum præter revelatas scripturas canonicas agnoscamus planè nullum, si nimirùm priori hoc modo Zelus commendationem mereri velit, doctrinam fidei ad dictum principium probè trutinare atq; examinare primum oportebit, sic vt Zelantis mens de re ipsa ex dicto principio rectè & sufficienter sit informata.

Præterea cùm voluntas, quippè affectuũ moderatrix, suum quoq; in Zelo officium præstare cogatur, ea itidem intra certos limites vt affectus detineat, ne ultra quàm par est, evagentur, cumprimis necessariũ erit. Atq; hujus affectus regulæ potißimùm constituuntur. 2.

Regulæ moderandorum in Zelo affectum.

Prima; vocatio, quæ cum mediata nonnunquam sit, quandoquidem etjam immediata aut singularis, exinde diversas Zeli species exoriri apparet.

Secunda; Charitas proximi, quæ sub prætextu dilectionis primæ Tabulæ nullatenus violanda est, cùm ex dilectione proximi de dilectione certißimũ, Iohanne teste, 1. Joh. 3. v. 17. ferri poßit judicium.

Tertia; Donorum, nobis divinitus concessorum, mensuratio, ut nimirùm Zelus ità comparatus sit, ne, Icarijs aliis assumtis κακοζηλίαν nostram prodamus, nosq; risui plerorumq; rectius judicantium, turpiter exponamus.

Quarta; Dei gloriæ, & Ecclesiæ ædificatio, ad quam Apostolus omnia Christianorum facta metienda esse aliquoties monuit, 1. Cor. 14. v. 26.

His ità præmissis ad prænumeratorum exemplorum variarumq; Zeli specierum accuratiorem dijudicationem viam planè regiam nobis stratam esse confidimus.

Zelus Judæorum qualis.

Initiò enim Judæorum Zelus, quem Apostolus ζῆλον θεοῦ Rom 10. v. 2. nominat, itemq; ipsius Pauli Zelus, quo ipse ante conversionem suam, uti Philip. 3. v. 6. testatur, præditus fuit, indè bonus omninò nominari nequit, quod à vera religione fideq;, toto, quod dicitur, cœlo aberravit; quod agnoscens pectus Apostoli, Judæorum Zelum debitâ ἐπιγνώσει destitutum fuisse, se verò, quæ Zeli prætextu ad oppressionē Christianorum fecerat, ex ignorantia fecisse Rom, 10. v. 2. 1. Timoth. 1. v 13. fatetur.

Præ-

Prætereà, ubi voluntatis in Zelo affectionem ex præmissis regulis dignoverimus, ea quoq; aliam atq; aliam Zeli speciem suppeditabit. Quià namq; immediatas, vt & singulares vocationes Deus singulariter rexit, hinc fit, vt ita vocati speciali Spiritus sancti impulsu heroïca nonnunquàm facinora ediderint, quæ nobis nunc temporis imitari minimè est licitum.

Atq; hanc diversitatem perpendentes, Zelum alium heroicum & singularem, *alium contrà* vulgarem *esse profitemur. Prioris exempla præcipuè reperiuntur. Num. 25. v. 12. & 13. 1. Reg. 19. v. 10. & 14. Mar. 2. v. 24. Quò & pertinent Sanctorum actiones heroicæ, vt* Samsonis, Gedeonis, Davidis, Apostolorum, *& piorum* Martyrum: *cui etjam* Zelum Lutheri *in opere reformationis Ecclesiæ, παῤῥησίᾳ, ad stuporem usq; magnâ, exhibitum, jure omninò accensere poteris. Posterior Zeli species in omnibus ijs, qui Ecclesiis adhuc præsunt, locum habere debet: Quò Jeremiæ illud pertinet,* maledictos illos *nominando,* qui faciunt opus Domini ἀμελῶς *h. e. sine cura, sine Zelo, sine soli-*

Zelus Heroicus.

Zelus Lutheri.

Zelus vulgaris.

citudine. Jerem. 48. v. 30. Itemq; Apostoli Pauli ad Timotheum institutа παραίνεσις, monens Timotheum, ut gratiam Dei, sibi communicatam, Zelo convenienti exuscitet, & quasi scintillulas, sub favillis latitantes, curâ atque labore assiduo sufflet, quo vel sic tandem igniculus donorum in manifestas flammas erumpens, eò reddatur conspectior, dilucidiorq;. 2. Timoth. 1. v. 13.

κακοζηλία. Porrò cùm donorum cujuslibet mensuram Zeli vehementia excedere non debeat, hinc liquet, ineptum planè & risu dignum Zelum habere eos, qui præstantium virorum dicta, facta, gestus, ad se nonnunquàm transferunt, eaq; imitari student, cum tamen ijsdem, quibus illi, donis haudquaquàm sint præditi; qui Zelus cùm sæpiternè nonnunquã dare soleat, proximoq; tantoperè non incommodet, commiserationem magis quàm indignationẽ promeretur.

Zelus Pontificiorum, Zvvinglianorum, Anabaptistarum. Denique exindè, quod justus Zelus ad dilectionem proximi, Dei gloriam, Ecclesiæq; ædificationem examinari debet, quid de Zelo Pontificiorum, Zvvinglianorum, Anabaptistarum, aliorumq; fanaticorum, statui debeat, æstimari potest. Quià enim

aliqui horum, Zeli prætextu non Dei, sed quæ sua sunt, quærunt; aliqui cum scandolo & offensione proximi, ea, quæ per se non omninò mala sunt, propagari studeant, omnium horum Zelum culpabilem esse, satis est conspicuum.

III. Hederæ subitanea productio, quæ in textu Domino Deo adscribitur, de authore herbarum, omniumq; rerum, quæ ex terra proveniunt, nos commonefacit.

Etsi enim Deus omnipotens à novarum specierum creatione, ἑξαημέρῳ elapso, abstinuit, hoc tamen Universum, & quicquid eo terrâ mariq; continetur, adeò non deseruit, vt etiam Salvator se usq; modò unà cum Patre operari, *verissimè asseveret, Joh. 5. v. 17. Quinimmò vim istam germinandi terræ in primâ creatione Deus indidit;* Germinet, *inquiens*, terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, *Gen. 1. v. 11. &c. quæ nisi Dei singulari virtute atq; omnipotentiâ unà cum ipsâ terrâ conservaretur, ne ad horæ quidem momentum subsistere posset. Ad hæc eiusdem quoq; Dei est, irrigare terram desuper, eamq; pluviâ immissâ fœcundare: quod noster Psaltes Regius,*

Herbarum omnium quotidiè propagatarũ specierũ author Deus est.

Deum, *dicit*, rigare montes de superioribus suis & fructu operum suorum satiare terram, *Psal. 104. vers. 13. Hoc perpendentes, vanitatem epicuræorum, mundum hunc, &, quæ in eo sunt, creaturas casu extitisse, somniantium, detestemur, & è productione herbarum, aliarumq;, usui vitæ nostræ accommodatarum, specierum (quarum ne unam quidem universa humana potentia, in unum collata, suâ virtute perficere potis est) Dei bonitatem planè paternam, & omnipotentiam verè tremendam agnoscamus.*

Usus rerũ creatarum.

IV. Finis, ad quem hedera hæc à Deo parata fuit, herbarum, è terra provenientium, ut & reliquarum creaturarum, certum usum, & fines certos, quorum gratia conditæ sunt, esse, perspicuè testatur.

Primus est hominis necessitas, eo expressus, quod hedera hæc propterea præparata fuit, ut umbram præberet Prophetæ, Solis æstui undiquaq; exposito; quo quælibet humana indigentia referri simul potest. Ita namq; comparatum est systema hoc corporis nostri, ut justâ alimentatione, curâ atq; refectione perpetuò egeat, nec sine

usu

usu rerum creatarum, cibi aut potus, vel ad paucos saltem dies subsistere possit. Atq; huic nostræ inopiæ à Deo ita prospectum est, ut quacunq; etiam re indigeamus, eandem inter creaturas Dei, pro depellendâ quavis obveniente necessitate, cumulatim reperire possimus. Sic, ut inediæ satisfacias, terra frumentum profert varii generis: ut sitim restinguas, vinum vitis suppeditat: ut æstum nimium avertas, è lignis domicilia & scenæ adornari possunt: ut frigus compescas, fera animalia pelles, oves lanam, anseres, aliaq; volucres plumas affatim submministrant: Quod si corpus nostrũ, ob peccatũ mortalitati subjectum in morbum incidat, variisq; ægritudinibus afficiatur, eas etiam herbas, quæ esui & alimentationi prodesse nequeunt, usui tamen esse posse, ut Ambrosius libr. 3. ἑξαημέρου, cap. 9. scribit, & venenatissima etiam quæq; in hominis salutem conservationemq; fabricata esse, animadvertis.

Secundus finis rerum, à Deo creatarum, hic est, ut nimirum homo delectationem & antidotum quoddam adversus melancholiam è creaturarum pulchritudine

desumat: Qui creaturarum usus adeò est conspicuus, ut quoties homo vel ad cœlum, stellis tanquàm preciosissimis omnis generis gemmis decoratum, tempore hyberno; vel ad terram, sylvis, pascuis, rivulis, variisq; animalibus repletissimam, tempore potissimum verno, quandò, ut Poëta loquitur, formosissimus annus est, oculos convertit, non possit non seriò gaudere, sibiq; de domicilii sui, in quod à Deo collocatus est, pulchritudine ex animo gratulari. Hunc creaturarum usum itidem Propheta in hederæ hujus litigiosæ confectione monstrat, dicens, eam à Domino Deo præparatam, non tantùm, ut umbram Jonæ delassato præberet, sed ut eidem etiam delectationi esset, & Prophetæ tristitiam imminueret; quod adeò quidem feliciter expedivit, ut Jonas ob hederam hanc lætitiâ magnâ lætatus esse dicatur.

Tertiò, eum quoq; in finem, & quidem potissimum, herbæ, aliaq; omnia, cœlo, terraq; contenta, creata sunt, ut omnipotentiæ, bonitati, ac sapientiæ Dei Opt. Max. testimonium perhibeant, quòd tantâ faciunt claritate atq; evidentiâ, ut etiam

jam in corde conscientiâq; gentilium de invisibilibus Dei, ejusdemq; potentiâ & divinitate, *Apostolo teste*, concionentur, gentesque, legis & Dei ignorationem ad sui excusationem prætendentes, prorsùs coram Deo inexcusabiles reddant, *Roman 1. vers. 20.*

Tanti, tamq; varii cùm minutissimarum & vilissimarum herbarum usus sint, non instar mulorum *aut* equorum *mundi hujus fabricam intueamur, sed cum gratiarum actione rebus creatis utamur, & ad pleniorem de Deo, ejusq; infinitâ sapientiâ investigationem, librum naturæ, &, quæ in eo sunt, folia, creatarum videlicet rerum ordinem, diligentissimè evolvamus.*

V. Eâdem hâc hederâ, Deo ità disponente à verme arrosâ, de certo divinarum pœnarum genere, quod in frumenti, herbarum, aliarumq; rerum, ad hominis & brutorum animantium conservationem è terra provenientium, corruptione consistit, perspicuè monetur. Ob insignem enim hominum ingratitudinem, malitiamq;, ut & propter abusum donorum, divinitus

Vermes, frumentũ & herbas arrodentes ob peccata nostra à Deo procreantur.

conceſſorum, vermes nonnunquam, & varia inſecta Deus excitat, quæ frumenta, herbas, & quicquid boni terra producit, paſſim depopulantur atq; devaſtant: quinimmò hujuſmodi juſtitiæ ſuæ executores granariis, veſtibus, immò etiam corporibus noſtris quandoq; immittit, noſq; ijſdem tanquàm flagellis & pœnis temporalibus probè exercet. Exemplum hujus pœnæ inter plagas Ægyptiacas extat Exod. 10. v. 14 & 15 ubi Deus locuſtas excitaſſe *legitur* innumerabiles, quæ univerſam terræ ſuperficiem operiendo obſcurarunt, omnemque Ægypti herbam, & quicquid in arboribus fructuum erat, devorarunt. *Hoc quoq; pœnæ genus Iſraëlitis, à legis obſervatione recedentibus, Deus minitatur:* Si, *inquit,* audire nolueris vocem Domini Dei tui, *&c.* ſementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, quià locuſtæ devorabunt omnia: Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quicquam, quoniam vaſtabitur vermibus. *Deut. 28. verſ 38. & 39. &c. Cum itaq; vermes hujuſmodi penè omnibus annis*

annis modò in hoc, modò in alio loco terræ fructus, olera, lupulum, arbores, &c. arrodant, devastentq́, moniti præsentis exempli evidentiâ, eorundem generationem non tantùm causis secundis, rori nimirum, aut vaporibus, è terrâ ascendentibus, adscribamus; sed Deum his & similibus pœnis peccata nobis nostra in memoriam revocare, eaq́ punire cogitemus.

Omnes creaturæ Deo militant adversus hominem Deum offendentem.

VI. Sicuti paulò antè monstratum fuit, reliquas creaturas cum in finem à Deo præparatas esse, ut homini inserviant, ità vicissim, audientes Jonam solis nimio calore & venti vehementiâ à Deo exagitatum fuisse, Deum ijsdem quoq́ creaturis ad usum & sustentationem hominis primitùs conditis, in puniendo & exercendo homine uti perspicimus: Atq́ tum creaturæ omnes Dei quasi satellites & castra sunt, quæ adversus hominem, tanquam adversarium suum, magno numero producit. Notat hoc Syracides, quandò aquam, ignem, ferrum, sal, lac, panem similagineum, mel, oleum, aliaq́ hujus generis in usum hominis creata quidem esse dicit; quæ tamen bonis bona & salutaria, malis verò permitio-

ſa & detrimentoſa eſſe, idem ſubinnuit, Eccleſiaſtici 39. verſ. 31. & 32. quinimmò paulò poſt igne, grandine, fame, dentibus beſtiarum Deum in vindictam uti apertè pronunciat, verſ. 36. Metuamus itaq; hujuſmodi Dominum, cui omnes creaturæ obediunt, ne ad vindictam provocatus, exercitu hoc ſuo longè validiſſimo nos obruat, ſicq; potentiam ſuam verè tremendam noſtro nobis malo comprobet.

Dei erga infantes amor.

VII. Quod infantium Ninivitico-rum causâ Deus populoſiſſimæ urbi peperciſſe, atq; à ſubverſione ejuſdem abſtinuiſſe legitur, ſingularis, ac planè paterni amoris, quo teneram juventutem complectitur, indicium eſt, cujus quidem gratiâ variis bonis eos, qui ætatis aliquantulum provectioris ſunt, à Deo afficì, luculenter Ninivitarum *exemplo edocetur. Hic Dei erga pueros amor multis aliàs perquàm evidentibus documentis comprobatur, quandò videlicet divinâ virtute in utero matris conſervantur, in lucem editi per Baptiſmum in gra-*

gratiam recipiuntur, lacte materno nutriuntur, & custodiâ sanctorum Angelorum, faciem Patris cœlestis perpetuò intuentium, Matth. 18. vers. 10. tutissimè proteguntur; quæ omnia tenerrimæ dilectionis, qua puerulos Deus prosequitur, testimonia sunt planè augusta. Atq; his & similibus beneficiis, quandò infantes à Deo afficiuntur, nos reliqui unà cum illis haud rarò reddimur participes. Horum enim causâ pestes sæpè, bella, aliaq; imminentia mala abiguntur; horum causâ terræ benedicitur, ut frumentum majori copiâ progenerent: hi denique sunt illi, ex quorum ore laudem sibi Deus perficit, Psal. 8. vers. 3. quod declarans alicubi B. LUTHERUS, nos Seniores, malos & stultos, propter pueros omnibus bonis perfrui, & puerorum quasi convictores esse *dicit: Istius proindè divinæ propensionis in infantes memores caveamus, ne scandalizemus unum de pusillis istis, sed conversi, illisque similes redditi*

diti, fide, dilectione, & cordis simplicitate Deo nos, vitamq; nostram probare studeamus.

Dei providentia ad bruta etiã animantia se extendit.

VIII. Jumentorum Niniviticorum cura Dei providentiam ad bruta etiam animantia se extendere, eaq; conservare, liquidò evincit. Ostendit hoc ipsum benedictio divina non hominis tantùm, sed & reliquarum creaturarum causâ semel atq; iterum repetita, Gen. 1. & 9. Evincunt idem aperta Scripturarum testimonia, qualia reperiuntur Psal. 36. vers. 7. Psal. 104. vers. 11. 14. 21. Psal. 136. vers. 25. Matth. 10. vers. 29. &c. Denig; experientia quotidiana in conservatione & propagatione animantium id quoq; satis evidenter demonstrat. Quæ rerum, ratione destitutarum, conservatio nos erigat, ut Deo, quippè ad cujus imaginem creati ac renovati sumus, nos multò magis curæ esse credamus, indeq; de divino auxilio & sustentatione in quibuscunq; adventantibus difficultatibus certiores redditi, cum Davide curam nostram super Dominum jactemus, qui sustentabit nos, & non dabit

dabit in æternum fluctuationem justo. *Psal. 55. vers. 23.*

Huic DEO immortali, veraci, potenti & sapienti sit laus, honor & gloria in sempiterna secula,

AMEN.



INDEX

INDEX
RERVM HOC LIBRO CONtentarum.

A.

Abdias non fuit Propheta Eliâ superior. pag. 146.

Abdias Prophetam Eliam cultu religioso non prosecutus est 144

Accidens in Deum non cadit 340

Adorabile esse & divinum esse sunt ἀντιστρέφοντα 169

Adorare ad scabellum pedum Davidi quid significet 132

Adorari religiosè nihil, utcunq; excellens illud sit, sine mandato Dei debet 112

Adoratio religiosa cultus est, soli Deo competens 113

Adoratio religiosa quoad objectum saltem una est 112

Adoratio sanctorum non verbo Dei, sed veterum consuetudine introducta est 112

Adorationis religiosæ species secundũ Pontificios 107

Adorationis religiosæ secundum Pontificios partitionem scriptura non agnoscit 109

Afflictiones cum gratiarum actione & patientia excipiendæ sunt. 290

Affli-

Afflictionum temporalium veræ causæ 347
Ambrosius Deum per sanctos compellare vetat 169
Amussis, ad quam concionatores conciones suas examinare debent, quæ sit 286
Angeli, fœderus & Angelorum naturâ talium discrimen 137
Anima vera Samuelis virtute incantationis revocata non fuit 141
Athanasii de fuga cum Arianis conflictus 48.49
Athanasii de fuga insignis sententia 53
Athanasii scriptum de virginitate est suppositititium 152
Auxilium in necessitatibus soli Deo committendum 238
Auxilium alicuius creaturæ qui implorant, relicto Deo, sunt vanitatum cultores 238
αὐτοχειρία est illicita 366

B.

Balæna Jonam excipiens quando primùm extiteret 87
Balænæ obsequium Dei omnipotentiam arguit 93.257
Balænæ venter qua significatione venter inferni vocetur 214
Basilius de Sanctorum invocatione nimis irreligiosus 153

Bellar-

Bellarmini de religiosâ Sanctorum invocatione sententia pag 115.
Bellarmini in orationem meritoriam & impetratoriam distinctio omninò est vana 206
Bellarminus, hominem legem Dei non tantùm implere, sed plus etiam, quàm Lex flagitat, præstare posse scribit 40
Bellarminus Sanctorum invocationem non scripturâ, sed consuetudine niti ingenuè fatetur 112
Bellarminus Angelis nullum nisi religiosum honorem deberi opinatur 136
Bellarminus ex Angelis ab omni fastu alienissimis facit arrogantes 138
Bellarminus, in citandis patribus candoris sui sæpissimè obliviscitur 170
Bellarminus in adstruendis fidei dogmatibus cavillationes gentilium & dicteria vulgi in subsidium vocat 165
Beneficia, à Deo accepta grato animo agnoscenda 240
Beza quomodo vocem Scheol interpretetur 212
Bona tam spiritualia quàm corporalia a Deo promanant 114
Bona temporalia quomodo & quibus conditionibus petenda sint 200
Bona spiritualia quæ dicantur 201
Bona spiritualia sine ulla conditione sunt petenda 202

Bruta

Bruta animantia cur jejunare sunt jussa p. 304

C.

Calviniani Deo adscribunt verbi prædicati apud incredulos impotentiam 316
Carnem Christi adorantes à fiducia in Deum collocando non recedimus 183
Carnis vox quid apud Jeremiam cap. 17. v. 5. significet 182
Caro Christi per & propter unionem adorabilis 170. 181
Caro Christi extra λόγον nullibi subsistit 170
Carthusianorum mos jejunandi 331
Castigationes speciales in Ecclesia maximè sunt necessariæ 14
Castigationes Sanctorum Dei misericordia temperantur 92
Cato αὐτόχειρ 364
Cautela in castigationibus specialibus adhibenda 17
Christi resurgentis cum Jona collatio 260
Christo, qua data sunt, ipsi quatenus homo est, data sunt 171
Christus quomodo virtute patris sui & virtute propriâ resurrexisse dicatur 263. 264
Christus quo respectu frater noster dicatur 187
Christus etiam quà homo & in profundissima exinanitione sua noster Rex & Dominus 188

Conciones legales sunt mundo odiosæ 372
Confessio Pontificia 324
Confessio Pontificia impossibilis & periculosa 325
Conscientia aliàs confidentiam, aliàs desperationem parit 67
Conscientiæ descriptio 65
Conscientiæ officium duplex Ibid.
Conscientiæ hominis quodnam munus 379
Consolationes in periculosis vocationibus quæ adhibendæ 292
Contritio Pontificiis quid 323
Conversatio cùm piis instituta perutilis est 72
Costeri de Sanctorum invocatione sententia 116
Credere Deum, Deo & in Deum quid differant 297
Crux piorum est res longè utilissima. 100.290
Crux piorum non est fortuita 235

D.

Danæus Deum carni unitum sine carne adorat 175
Dei dicere quid sit 245
Dei erga infantes amor 394
Dei providentia ad bruta etiam animantia sese extendit 396
Dei misericordia est quiddam cum essentia divina ταυτὸ 345

Demo-

Demosthenes αὐλόχειρ 364
Deorum gentilium multitudo 59
Desiderii mortis quæ conditiones 369
Desiderium mortis sine bonum 363
Desiderium mortis, quo Sancti flagrarunt, non est unius generis 368
Deus in vocandis Ecclesiæ ministris est mirabilis 9
Deus φιλάνθρωπος 19
Deus est liberrimum agens 70
Deus afflictorum preces promptissimè exaudit 222
Deus ad dandum paratior quàm nos ad accipiendum 223
Deus est adjutor in opportunitate 223
Deus ad malas actiones quomodo concurrat 226
Deus ἀταξίαν in pravis actionibus ad suavissimam τάξιν reducit 226
Deus non est alligatus causis secundis 227
Deus absolute quopiam decreto & beneplacito neminem damnat 235
Deus, quomodo ad opera hominum, cum ea non justificent, respicere dicatur 337
Deus in puniendo & exercendo homine creaturis tanquam satellitibus & castris utitur 392.393
Diaboli Deum non possunt nominare Deum suum 99
Diabolus quo fine plagas excitet 224

INDEX.

Diaconi in primitiva Ecclesia communi Ecclesiæ consensu officio præfecti sunt 280

Dignitas officiorum non est merè humana 146

Divina natura Christi ab ejusdem persona non nisi ratione differt 170

Divinæ Christi naturæ ex gratia & in tempore dari nihil potest 171

Divitiæ sunt per se bonæ 79

Doctrina fidei & cultuum ex solis scripturis petenda est 148

Dona Dei sunt ἀμεταμέλητα 203. 234

Donatistarum de fuga & persecutione opinio 47

Donatistarum de Sacramentis, ab hæreticis aut schismaticis administratis, delirium 361

E.

Eccius Sanctorum invocationem scripturâ destitui fateri cogitur 111

Ecclesia non eandem circa doctrinam de religiosa adoratione puritatem retinuit 148

Ecclesiæ ministros non oportet esse delides 11

Ecclesiæ vox diversimodè accipitur 282

Elias non fuit honore privatus 147

Essentia divina quomodo carni Christi communicata esse dicatur 186

Ethnici Christianos in virtutum exercitio longissime haud rarò antecellunt 67

Examen argumentorum Bellarmini pro cultu religioso Sanctorum 131

Examen

Examen argumentorum Danæi contra adorationem Christi hominis 180
Excellentior inferiorem honorare potest 145

F.

Fidei variæ species 295
Fides non est nostrarum virium 237
Fides salvifica cum dubitatione de remissione peccatorum stare non potest 309
Fides & propositum peccandi in uno subiecto simul esse non possunt 333
Fides per charitatem est efficax 334
Filii Dei qui sunt, Deum soli Deum suum nominare possunt 99
Fuga alia est licita, alia illicita 49. 50
Fugæ licitæ exempla 53
Fugæ variæ species 46
Funccius decollatus 13

G.

Gentilium circa Dei cultum cæcitas 59
Gratiarum actionis Deo exhibendæ quænam sint causæ 240
Gregorii de Sanctorum invocatione sententia 115

H.

Hedera productio 372
Hedera ad quem finem fuerit producta 375
Hedera cum civitate Ninives comparatio 377

Henrici Septimi, Imperatoris juramentum, Pontifici præstitum 127
Herbarum è terra provenientium author Deus est 387
Hieronymi de scriptis Origenis judicium 152
Hominum conatus sunt irriti 185
Humana natura Christi, in quantum sua essentiæ finitate terminatur, non est adorabilis 169
Humana Christi natura in ipsam τοῦ λόγου ὑπόστασιν assumta est 171

I.

Jehovah nomen Dei essentiale, & creaturis incommunicabile 98
Jejunia necessaria qua 328
Jejunia miraculosa *Ibid.*
Jejunii Christiani descriptio 328
Jejunii Christiani finis 331
Jejunium allegoricum seu spirituale in quo consistat 327.328
Jejunium aliud publicum, aliud privatum 329
Jejunium Pontificiorum quale & quomodo à nostris jejuniis differat *Ibid.*
Jesuvitæ pro iis, qui sanctos loco Dei invocent, haberi nolunt 107
Impletio Legis homini est impossibilis 40.41
Infidelibus ex pœnis fidelium quæ faciendæ collectio 92

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0442
DFG

Instructio legationis Jonæ prima 3
Instructio legationis Jonæ altera 267
Iob in quas tentationes gradatim delapsus 230
Jona de suscipiendâ aut negligenda vocatione deliberatio 28
Jonæ pericula in navi exantlata 28
Jonæ in mare projectio 35
Jonæ calamitas quanta 89.212.216
Jonæ calamitas insigne iræ divinæ adversus peccata documentum 91
Jonæ in ventre piscis oratio 209
Jonæ conservatio in ventre balænæ summum est miraculum 251
Jonæ ex ventre piscis liberatio 244
Jonæ ex ventre piscis liberatio typus resurrectionis Christi admodum conspicuus 250.259
Jonæ è ventre piscis liberatio misericordiæ Dei insigne testimonium 258
Jonæ concio in Ninive qualis fuerit 278
Jonæ cum Deo contentio 351
Jonam cur interrogando, non verò culpando redarguere Deus voluerit 371
Jonas significat columbam 3
Jonas quò aufugerit 24
Jonas quamdiu in ventre balænæ extiterit 88
Jonas cur dicatur non ad Deum simpliciter, sed ad Dominum Deum orasse 98
Jonas quâ orationis formâ usus fuerit 99

Jonas nullius creatura, sed solius Jehovæ ope è ventre piscis liberatus 244
Ionas qualiter à pisce exierit 247
Ionas quo in loco terræ redditus fuerit 249
Ionas invidet Ninivitis ipsorum cum Deo reconciliationem & pœnæ remissionem 250
Ionas veritatem comminationum divinarum in dubium vocare præsumit Ibidem
Ionas mortem sibi exoptat 352
Ionas ex adverso Ninives scenam extruit 353
Ioppe civitatis descriptio 26
Iosua, Angelúmne, an verò filium Dei. Jos. 5. v. 14. adoraverit 137
Iuramentum in reformatione Styriacâ & Carinthiacâ à subditis, ad papismum pertractis exactum 129
Iurare per quem oporteat 114.
Ius vocandi Ecclesiæ ministros est totius Ecclesiæ. 278

K.

κακοζηλία 386
Kikajon, cuius speciei herba fuerit 372
Kikajon quid Hieronymo significet 374

L.

Legis concio in Ecclesia non intermittenda, & quare 288

Legis officium peccata detegere 289
Lex ipsi naturæ in prima creatione insculpta est 288
Lutheranorum de adoratione carnis Christi sententia 169
Lutheri de reprehensione notoriorum peccatorum sententia 16
Lutheri de tempore compositi carminis Jonæ sententia 210

M.

Magistratus boni est esse sollicitum de salute suorum subditorum 304
Magistratus politici in propagando vero Dei cultu studium quale esse debeat
Magistratus pii exempla
μακροβιότης est donum Dei 365
Mala pœnæ unde proveniant 224
Mare quomodo stetisse dicatur 38
Matthiæ Martinii Calvinistæ de adoratione carnis Christi nova sententia 177
Ministerii author & Dominus, est solus Deus 275
Ministerii est judicare de donis & eruditione vocandorum 283
Misericordiæ Dei augustissimum testimonium 19.258.344.363.
μίσος & ἐχθρὰ quid differant 351

Mortuorum resurrectio ut immediatus effectus à resurrectione dependet 264

N.

Nestorianismi prima initia quæ fuerint 195
Nestorii sententia è Thesibus ipsius, anathematismis Cyrilli oppositis rectè cognoscitur 196
Ninive qualis civitas, & à quo ædificata 3
Ninive cur civitas Dei dicatur 271
Ninives magnitudo 269
Ninivitarum pœnitentia qualis 295
Ninivitarum fides qualis 297
Ninivitarum fides in externa opera prorumpit 298
Ninivitarum Ieiunium Ibid.
Ninivitarum Ionæ concionem audientium qualis vestitus fuerit 299
Ninivitarum Rex quis fuerit 300
Ninivitarum Regis seria pœnitentia 303
Ninivitarum Rex de subditorum suorum salute est sollicitus 304
Ninivitarum Rex an de remissione peccatorum dubitaverit 308
Ninivitarum Regem de pœna temporalis remissione solummodò dubitasse evincitur 311
Ninivitarum Ieiunium, cineres & sacci non sunt opera pro peccatis satisfactoria 327

O.

Odii natura 351

Omni-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0446
DFG

Omnipraesentia & omnipotentia Dei adstruitur 42. 43
Opera ne quidem renatorum sunt meritoria 206
Opera bona sunt fidei testes 337
Opera nostra quomodo Deo placeant 343
Operum bonorum quae sit forma 197
Operum Ninivitarum & Pontificiorum discrimen 338
Operum bonorum author Spiritus sanctus 343
Opiniones interpretum variae de verbis: Ninive erat civitas magna itinere trium dierum 269
Opus mediationis inter Deum & hominem solius filii Dei est 113
Orandi modus & forma quae 197
Orientalium in extruendis solijs maiestas 302
Othonis Imperatoris Juramentum Johanni Papae datum 128

P.

Patres plerique serò ad sacrarum literarum studia accesserunt 155
Peccata omnia non sunt aequalia 17
Peccata clamantia quaenam sint 18
Peccata quomodo clamare dicantur 18. & 19
Persecutio alia est generalis, alia personalis 50. 51
Persecutio boni aliquid habet & mali diverso respectu 54. 55

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0447
DFG

Piscis iste magnus, qui Jonam deglutivit, cujus speciei fuerit 85
Pœna temporalis, æternâ remissâ, cur semper non auferatur, juxta Pontificios 346
Pœnitentia vera non est ociosa 322
Pœnitentia Pontificiorum Ibid.
Pœnitentia quid propriè dicatur 339
Pœnitentia quomodo de Deo prædicetur 340
Pœnitentia Dei rectiùs effectus in hominibus, quàm affectus in Deo nuncupatur 341
Pœnitentiæ genuinæ partes & conditio 321
Pœnitentiæ anima fides Ibidem
Politici moderni potestatem vocandi ministros Ecclesiæ ad se unicè rapere conantur 285
πλυπραγμοσύνη *Ecclesiæ ministris studiosè est vitanda* 12
Pontifex Romanus jus vocandi Ecclesiæ ministros sibi soli vendicat 284
Pontificii Sanctos religiosè invocant 114
Pontificii Sanctos mediatores inter Deum & homines constituunt 117
Pontificii bona spiritualia & corporalia à Sanctis petunt 120
Pontificii certis morbis curandis certos Sanctos assignant 124
Pontificii per nomen Sanctorum jurant 125
Pontificii peccatores per merita & passiones Sanctorum à peccatis absolvunt 129

Pon-

Pontificiorum de perfectione Sanctorum error 40
Pontificiorum in eligendis variis auxiliatoribus superstitio 60
Pontificiorum de intentione ministrorum Sacramenta dispensantium error 362
Pontificios Sanctis divinos honores deferre demonstratur 113
Prædicare non est humanum opus 267
Precatio nubes penetrat 103
Precatio est opus Spiritus sancti 103
Preces quibus de causis in fide fieri debeant 203
Preces hypocritarum cur Deo displiceant 204
Preces Judæorum, Turcarum & Christianorum quid differant 205
Precum naturam indagare res maximi momenti est 102
Precum varia genera 104
Precum vera differentia in quo consistat 105
Precum objectum quodnam sit constituendum, non est una omnium sententia Ibid.
Prodici error 223
προσκύνησις *Orientalibus populis in civilibus congressibus admodum usitata* 135

R.

Razia semetipsum interficientis factum quanti sit æstimandum 368
Regeneratio Sanctorum in hac vita est imperfecta 231

Renati cooperarii Spiritus sancti nuncupantur 343
Rerum creatarum est certus aliquis usus & finis 388
Revelationum divinarum varia genera 1

S.

Sacci indumento quid veteres significarint 299
Sacramenta verbum visibile 361
Sacramentarii in definienda omnipotentia Dei à Stoicis nihil differunt 71
Sacramentarii circa adorationem carnis Christi oppugnandam non sunt unius generis 174
Sacramentarii consuetudinem Christianorum, ad prolationem nominis Christi caput aperientium, aut genu flectentium, pro dericulo habent 176
Sacramentariorum de adoratione carnis Christi sententia 175
Sacramentis neq; prodest neq; obest Sacramenta administrantis intentio 361
Sancti quomodo honorandi 149
Sanctorum imbecillitates sunt variæ 39.354
Sanctorum lapsus in scripturis tantâ diligentia cur sint consignati 355
Sanctorum lapsus, domestici nostræ miseriæ testes 358
Sanctos debito honore non privamus 149

Satisfactio Pontificia 323
Satisfactionis Pontificiæ vanitas 347
Saul ad mortuos confugiendo enormiter peccavit 139
Scheol quid propriè significet 213
Sciens & conscius quid differant 65
Scriptura quomodo aliquid approbet vel improbet 140
Scriptura cur omnia peccata in specie non taxet 141
Scripturæ authoritas ex concentu veteris & novi Testamenti æstimari potest 95
Scripturæ author est Deus 96
Senatus Romanus jus ἀποθεώσεως sibi arrogavit 59
Sortium varia genera 61.62
Sortilegia divinatoria qua occasione hominibus Satanas insinuet 64
Sortilegia divinatoria prohibita Ibid.
Sortilegii politici conditiones 65
Stoicorum deliria 70

T.

Tentationes spirituales omnium vehementissimæ 229
Tentationes spirituales quibus remediis sanari possint 233
Tentationum spiritualium varietas 230
Tertulliani de persecutione & fuga navus 48
Tertullianus orationem coram imaginibus institutam improbat 158

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0451
DFG

Tharsis vera significatio 24. 33
Theodosius Imperator ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi acerrimè reprehenditur 15
Timor servilis & filialis 33
πμωρία & δοκιμασία quid differant 191

V.

Venti immoderati descriptio 39
Verbi Dei prædicati robur & efficacia 313
Verbi divini encomia 313.314
Verbi prædicati fructus, & efficacia unde dependeat 359
Verbi divini fructum non remorantur vitia ministrorum Ecclesiæ personalia 361
Verbum Dei cur nonnunquam fructum & finem suum assequi non valeat 314
Verbum non ex suâ naturâ contrarios effectus sortitur 315.316
Vermes frumentum & herbas arrodentes, justitiæ divinæ executores
Vocatio legitima ad ministerium ecclesiasticum præcipuè requiritur 5
Vocatio legitima non est subterfugienda 44
Vocationes etiam mediatæ sunt divinæ 276
Vocationes periculosæ, modò sint divinæ, non sunt rejiciendæ 291
Vocationis legitimæ conditiones 277
Vocationum directio magistratui politico relinqui potest 288

Voluntas signi, & beneplaciti p. 20
Vomitus quæ causa 247
Voti vocabulum quot modis accipiatur 75
Votorum Novi & Veteris Testamenti non est par ratio 75
Votorum conditiones quæ. 78
Votum paupertatis Jesuitæ quid vocent 79
Votum paupertatis Scripturis ignotum & merè hypocriticum est 79.80
Votum, obedientiæ quod vocant, cujusmodi sit 81
Votum obedientiæ ejusmodi ordinationi divinæ contrarium 81
Votum perpetuæ continentiæ 82
Votum continentiæ factu impossibile, & cum voce divina expresse pugnat 82

Z.

Zeli varia exempla 381
Zeli boni duæ quasi partes 382
Zeli conditiones 383
Zelus in redargutionibus debet esse κατ' ἐπίγνωσιν 17
Zelus alius malus, alius bonus est 382
Zelus bonus quid Ibid.
Zelus Judæorum qualis 384
Zelus heroicus 385
Zelus Lutheri in opere reformationis qualis fuerit 385

Zelus vulgaris 385
Zelus Pontificiorum, Zvvinglianorum, & Anabaptistarum est reprehensione dignissimus 386

INDEX AVTHORUM, EORUM POTISSIMUM, QVOS IN CONFIRMATIONEM adduximus, tum & aliorũ nonnullorum, quorum in hoc libro mentio facta fuit.

Alphonsus Virresius
Ambrosius.
Andreas Fabritius Leodius.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Athanasius.
Augustana confessio.
Augustinus.
Basilius.
Bellarminus.
Bernhardinus.
Bernhardus.
Beza.
Calvinus.
Cato.
Chemnitius.
Chrysostomus.
Clemens Alexandrinus.
Conradus Gesnerus.
Costerus.
Cyprianus.
Cyrillus.
Dama-

Damaſcenus.
Danæus.
Demoſthenes.
Eccius.
Epiphanius.
Euſebius.
Euſebius Cæſariẽſis.
Franciſcus Ribera.
Gaudentius.
Gregorius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyſſenus.
Guilielmus Rondelitius.
Haymo Epiſc. Halberſtad.
Hermannus Contractus.
Hieronymus.
Hugo.
Iacobus Probſt.
Iohannes Funccius.
Ioſephus.
Iovianus Pontus.
Iſidorus.
Iuſtinus Martyr.
Juvenalis.
Lactantius.
Laurentius Codomannus.
Lëo.
Leonhardꝰ Crensheimius.
Ludovicus vives.
Lutherus.
Lyra.
Matthias Martinius.
Maxentius.
Maximus.
Melchior Zangerus.
Neſtorius.
Nilus Epiſc. Theſſ.
Nonius.
Origenes.
Otho Cardinalis.
Ovidius.
Paulinus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0455
DFG

Petrus Lombardus.
Petrus à Soto.
Philippus Melanchton.
Phocion.
Pistorius.
Procopius.
Prodicus.
Prudentius.
Rungius.
Rupertus Tuitiensis.
Sebastianus Munsterus.
Seneca.
Septemcastrensis.
Septuaginta Interpretes.
Socrates.
Sozomenus.
Symbolum Apostolicum.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodosius.
Theophylactus.
Thomas Aquinas.
Trogus Pompejus.
Urbanus Rhegius.
Zanchius.

ERRA-

ERRATA SIC ERUNT corrigenda.

Pag.1.lin.ult.lege: Luc. 1.v.13.& seq.cap.2.vers.10. & seq. Pag.2. lin.2. Gen.28.vers.12. pag.5.lin.12. precio. pag.8.lin.2.vocatio.lin.7.floccipendant. l.9.laudata. p.9. lin.1.prædicetur. pag.12. lin.3. exerceat. in marg. lin.4. πολυπραγμοσύνης. p.13.l.11.civilibus. p.16.l.15.explicatione.l.24.post vocem Impediat, tolle Punctum. p.17.lin.11. ἐλέγχῳ lin.21. κραυγῇ l.24.occultè. p.20.l.17.propositum, p.27.l.17. post v.cognita, pone Interrogationis signum. p. 29.l.1.cuilibet.p.30.l.3.aëra.l.9.infringit.l.10.aëra.p.38.l.5. post v. damus tolle Comma: post v.præcipitem pone punctum. p.39.l.11.detestandæ.p.50.l.7.propiùs. p.51.l.15.assertionis.p.52.l.17. mundo. p.53.l.19. post v. expectent, intersere v.donec definitum moriendi tempus advenerit.p.57 l.13.Ecclesiastici. p.58.l.8. Moabitæ.l.25. multò.p.60.l.12. cantilena.p.61.l.17.illicitæ. l.ult.Thessalonicensis. p.62.l.2. post v.Salomonis pone colon & lege sortes.lin.10.consensisse. p.63.l.12. ἄνευ δόλου. p.64.l.20.aliis p.65.l.13. consignatas.p.66.l.8.bonis.p.68.l.5.præcipitant.p.71.lin 13.retrogradum.p.72.l.16.post v.carne, intersere v.& quæ illi ex gratia unionis obtigerunt p.73.l.6.veri.p.78.l.ult.post v.sebaceam, intersere v. quidem.p.79.l.24.divitias. p.82.lin 3. sublimioribus.l.8.continentiæ.l.22.eò usque.p.85.l.1.κήτει. p.86.l.19.Propheta. p.89.l.20.debeant. p.90.l.16. post v.typis, intersere v.satis.p.29.l.6.quid.p.93.l.11.post v.fuit,intersere v.posse.p.94.l.21.devicit.p.95.l.22.harmonia.p.97. l.1.Enarratio.lin.19. post voc.precationis, intersere v.quâ. p.100.l.6.nimiùm.l.16.sibi.l.24. Esau.p.103.l.3. momenti. l.14.& 15.idolomania. p.104.lin.23.quoipso. p.110. lin.19. ἐλάτρευσαν. pag:112.l.2.notatto. l.5.post v.quàm intersere v. consuetudine cum commate.l.8.post v.ità, intersere v. in l. 9.S.Scripturam. p.120.l.1.libris.p.121.l.12. misericordiam. l.17.Dominum. p.123.l.8. liberari. p.134.l.8. sanctus.l. ult. cupit.p.136.l.12.post v.terram. intersere v.sese. in marg.l.6. deberi. p.138.l.4. ἀποσελλόμενα. p.141.l.6. specie. p.142. l.1.religiosè.p.143.l.17. ἑτεροζητήσεως. pagin. 144. lin. 17. At. lin.23. hunc. pagin. 146. lin.16. Petri. pag.148. post v. Iustini tolle comma. lin.ead. Martyris. pag.151. l.7. Patris. lin.8.ab.p.154.l.ult.est.pag.159.l.16.exitum.lin.21.faciat.

p.172

p.172.l.21.αὐτόπται. p.166. l.1.hæreticorum.p.174.lin.21. post v.invocari, interſere v.ne.p.179.l.22.orco.p.183.lin.19. Conjunctio copulativa. In marg.l.6. collocanda.p.190.l.26. luctari. p.194.l.19.D_o. p.195.l.3. poſt v. complicibus pone comma. p.199. l.12.leg.Matth.20. p.202.l.1.bonis.l.25.poſt v.adjecta, interſere, ſecum certus ſit.p.207.l.20.quâ.p.208 l.13.Paraphraſis. p.212.l.5. ſaxum. p.214.l.11.hac. p.215.l.1. anguſtiarum. p.217.l.12.interitui. p.218.l.17.videri. p.231. l.9.poſt v.adverſus, interſere v. Spiritum, & Spiritus adverſus.p.239.l.12.ſubſiſtamus. p.240.l.17.λατρεία.p.244.l.21. humanâ.l.ead.angelicâ. p.247.l.10.deligas. p.261.l.15. fretam.p.270.lin.2.præcepti.lin.18.per vicos.p.274.lin.18.υἱὸς p.286.l.9.habitat.p.287.l.3.digredi.p.292.procul. p.294.l.6. ἀραυγὴν.p.301.l.22.Crensheimio.p.302.l.6.detulerat.p.304 lin.2.& 3.ingenuè fatetur.p.322.l.11. temperantiæ.l.14.veram.p.326.l.22.ſeriæ.p.327.l.17.poſt v.hominum.interſere v.operibus.p.328.l.14.nomine.in marg.l.2.Chriſtiani.p.331 l.5.farcientes. p.332. l.11.conſcientiam. p.342. l.19. examinentur. l.25.comparat. p.346.l.11.mitigari.p.356. in marg. l.3.poſt v.ſcripturis, interſere v.cur tàm.pag.367. l.25.quià. p.371.l.19. poſt v.fallacibus tolle comma.pag.375. l.18. ſibi. p.376.l.6. poſt v. quo, interſere v.cum.p.381.l.21.poſt v.poterit, tolle v.licet.l.23.poſt v.invenire.interſere v.licet.

Si quæ forſan occurrant alia, æquus Lector ipſe facilè corriget.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn767035798/phys_0458
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767035798/phys_0460
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0464
DFG

ERRATA SIC

corrigend

Pag.1.lin.ult.lege Luc.1.v
& seq. Pag.2. lin.2. Gen.28.vers
pag.8.lin.2.vocatio.lin.7.floccip
lin.1.prædicetur. pag.12. lin. 3.
πολυπραγμοσύνης.p.13.l.11.civilib
ne.l.24.post vocem Impediat, to
ἐλέγχω lin.21.πραγμ l.24.occult
p.27.l.17. post v.cognita, pone In
29.l.1.cuilibet.p.30.l.3.æra.l.9.in
post v. damus tolle Comma: post
ctum. p.39.l.11.detestandæ.p.50.
sertionis.p.52.l.17. mundo. p.53.l
terfere v.donec definitum morien
l.13.Ecclesiastici. p.58.l.8. Moabit
cantilena.p.61.l.17.illicitæ. l.ult.Th
post v.Salomonis pone colon & le
fisse. p.63.l.12. ἄνιν | δόλ. p.64.l.
gnatas.p.66.l.8.bonis.p.68.l.5.præ
trogradum.p.72.l.16.post v.carne,
gratia unionis obtigerunt p.73.l.6.
baceam, interfere v. quidem.p.79.
sublimioribus.l.8.continentiæ.l.22
p.86.l.19.Propheta. p.89.l.20.debe
pis, interfere v.satis.p.29,l.6.quid
terfere v.posse.p.94.l.21.devicit p
l.1,Enarratio, lin.19. post voc.prec
p.100.l.6.nimium.l.16.sibi.l.24.E
l.14.& 15.idolomania.p.104.lin.2
ἐλάτρευσαν, pag:112.l.2.notatto. l.5
consuetudine cum commate.l.8.po
9.S.Scripturam. p.120.l.1.libris.p.
l.17.Dominum. p.123.l.8.liberari.
cupit.p.136.l.12.post v.terram. inte
deberi. p.138.l.4. ἀποσιλλόμενα. p
l.1.religiose. p.143.l.17. ἐτεροζήτη
At. lin.23. hunc. pagin. 146. lin.1
Iustini tolle comma. lin.ead. Marty
lin.8.ab.p.154.l.ult. est.pag.159.l.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767035798/phys_0465
DFG